EPHEMERIDES LITURGICAE
PUBLICATIO MENSILIS

Annus XV. October 1901. N. 10

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

X.

De Mitra.

Grimaldus recens Episcopus dioecesanus renuntiatus, sui Caeremoniarum magistri audito consilio, putavit, colorem Mitrae seu auriphrygiatae seu pretiosae, imo et simplicis, esse iure merito posse coloris paramentorum. Si enim, ita ratiocinabatur, caligae, sandalia et chirothecae respondere paramentorum colori debent, ratio non suppetit, ex qua idem de Mitra praedicari non debeat, vel saltem non possit. Hinc, uti bene nummatus erat, plures iussit sibi confici Mitras auriphrygiatas, pretiosas ac simplices diversi coloris, quibus pro relativis functionibus utebatur, hunc vel illum colorem requirentibus. Cum vero nuper accepisset, recentius exiisse Decretum a S. R. C. quo inhibebatur mitram, quod colorem attinet, respondere posse paramentorum colori, anceps haesit quid sibi esset agendum, suoque iterum magistro caeremoniarum audito, consultius esse censuit, posse adhuc illis uti, donec saltem consumerentur. Quod aegre tamen suum Canoni-

corum Collegium ferens, proprio caeremoniarum magistro sequentes proponit resolvendas quaestiones:

1. *Unde et quando Mitrae episcopalis ortus sit usus, et num illa utatur Ecclesia graeca? Quomodo triplicis generis Mitra evaserit, quidque illa significet?*

2. *Utrum determinatus in Mitra color iuri liturgico respondeat, et quare cum paramentorum colore convenire non debeat, cum tamen conveniant sandalia, caligae et chirothecae?*

3. *Num censendi ratio caeremoniarum magistri ipsiusque Episcopi sit probanda, vel quid eis suggerendum?*

Solutio.

Ex dissertatione Rev. Dom. Angeli Giovannelli Pontificii Seminarii Pii alumni, habita in S. Aede Congregationis Missionis, prope Curiam Innocentianam, die 12 Iunii 1901; acta Epitome per R.mum P. Franciscum Risi O. S. Io. de Deo.

I. 1. Unde Mitrae episcopalis ortus sit usus?

Veteris Testamenti Sacerdotes, in legalibus caeremoniis, Mitra describuntur ornati, prout legenti caput XXIX Exodi, et VIII Levitici patescit; exinde usus Mitrae videtur exortus in christiana Ecclesia. Haec est Cardinalis Bona opinio, qui (Rer. Liturgic. I, *cap. XXIV*) ad rem sententiam *Honorii* (lib. I Gemmae, *cap. 214*) refert; quam item opinionem alii quoque sequuntur scriptores. Monumenta insuper artis christianae et ipsa evincunt, Sacerdotes hebraeos, in suis caeremoniis hanc capitis ornamenti speciem, quam nos Mitram vocamus, gestasse. Notae sunt, inter alias, Moysi et Danielis figurae in romanis Catacumbis depictae; alia Melchisedech ad S. Vitalis Ravennae; in Vaticano Iosue *miniaturae*, aliaeque Zachariae et Abdiae, omnes quoddam Mitrae genus in capite deferentes (Garrucci, *Pl. CXLIII. CXLVI*). Attamen non est inficiandum, Mitram et gentilium ornamentum extitisse: hinc quodcumque fieret studium de Mitra, haud proprie

hoc sub nomine instituëretur, prout doctus Rohault de Fleury observat (*La Messe, vol. VIII*); illi namque obiectum omnino diversum respondebat ab eo quod modo intelligitur. Pontifices paganorum in Sacrificiis infulam deferre usi sunt (Smith, Dict. ad voces: *Mitra* et *Infula*). Iuxta Festum, infula laneis filamentis constabat, eaque Sacerdotes et victimae cingebantur, ac interdum et templa ornabantur. De his meminit Virgilius (Georg. III, 487): " . . . Stans hostia ad aram, Lanea dum nivea circumdatur infula vitta. „ Sed nimis non insistendum in usibus paganis, eo quod praesertim primaevi Christiani ab eis, quae gentilium erant refugientes, Mitram non adhibuerunt, nisi quatenus Sacerdotum veteris Legis morem saperet. Verum et apud veteres christianos Mitra non erat exclusivus virorum ornatus, sed etiam Virginum Deo sacratarum, testante S. Hieromymo (*Ep. 10*, de Magdalena), et S. Isidoro Hispalensi sic referente (*Etym. XIX, 31, 4*): " Est pileum phrygium caput protegens, quale est ornamentum devotorum. Sed pileum virorum est, mitra vero feminarum. „ Unde arguendum, quod pro viris erat phrygium ornamentum, pro mulieribus taxative nomine Mitrae distinguebatur. Prout in Catacumbis videtur, Mitra est plus minusve vitta aliquatenus elevata, gemmis ornata, velo cooperta (Garrucci, *Pl. XXXVI*), cuius crispaturae flexibiles circumcirca defluebant, capitis formam designantes. S. Agnetis imago, quae super antiquum auratum vitrum conspicitur, speciem quandam bireti in capite gerit, cui velum suspensum cernitur (Idem, *Pl. CXC*). In Africa Mitrae virginales laneae erant purpura coloratae, atque auro permixtae (Rohault de Fleury *l. cit.*). Mitra variis dixtincta fuit nominibus: Cidaris, Thiara, Infula, Phrygium, Corona sacerdotalis, *Cuphia* (Bona *Rer. Liturgic. lib. I, cap. 24*).

2. Quando Mitrae episcopalis ortus sit usus?

Exarserat olim circa tempus quo Mitra in christiana Ecclesia adhiberi incoeperit, magna inter eruditos discordia,

quae tandem veluti sopita nunc cosiderari potest. Et revera nonnulli Mitram introductam fuisse existimant anno circiter millesimo, scilicet saeculo XI ineunte: alii e contrario autumant eius originem ascendere ad Apostolos usque.

Ita Honuphrius Panvinius (saeculo XVI), non dubitabat asserere: " Mitrarum usum in Ecclesia Romana non ante sexcentos annos esse. „ Idem sentit Hugo Menardus, qui, in notis ad librum Sacramentorum S. Gregorii Magni (pag.362) asserit simpliciter Mitrae usum referendum esse esclusive ad saeculum XI. Argumenta, quae hi referunt, sunt: *a*) in antiquis monumentis, dum videntur Episcopi pontificalibus paramentis induti, tamen in iisdem figuris numquam Mitra invenitur; *b*) in veteribus Ritualibus et scriptoribus, qui epocham praefatam praecedunt, nulla Mitrae fit mentio, inter episcopalia paramenta. Hugo Menardus ad suam thesim sustinendam respondet argumentis, quae deducuntur e 77° Ennodii epigrammate (*De Vita et moribus S. Ambrosii*); ex historia Eusebii (*cap. IV*), ex apologetica oratione S. Gregorii Nazianzeni, in qua, de sua consecratione loquens, ait: " idcirco me pontificem cingis et podere cingis, capitique cidarium imponis „; ex Ammiano Marcellino, qui (*libro XXIX*) de Mitra meminit. Respondet autem Hugo Menardus, libertate prorsus singulari, iis, qui aureas laminas S. Iacobi primi Hierosolymitani Episcopi, dum in Sancta Sanctorum introiret, et S. Ioannis Evangelistae commemorant, intra quos Sanctus Epiphanius (*Haeres. 29*) auctoritate innixus Eusebii, Clementis, Polycratis apud Eusebium (*Lib. III Hist. cap. XXXI*), affirmans: " ipsas laminas aureas, ut in eis incoepere, sic in eis desiisse. „

Ex alia parte, novimus Andream de Saussay (*libr. I Panopliae Episcopalis*) sustinere totis viribus vetustatem Mitrae in Ecclesia catholica; et ceterum argumenta nec pauca sunt nec aspernenda. Idem Rohault de Fleury (*l.c.*) ostendit, se illa historica veritate innixa retinere. Haec argumenta ver-

santur circa laminam auream, qua usus dicitur S. Iacobus praefatus. Haec est, haud dubium, lamina aurea qua successores in sede hierosolymitana in sacris functionibus usi sunt, et quam Theodosius Patriarcha, saeculo IX, e Hierosolymis ad sanctum Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum misit. Ita ex Concilio VIII, actione I, habetur: " Poderem et superhumerale cum Mitra et pontificalem ornatum S. Iacobi, quo antecessores mei Patriarchae circumamicti semper in Sancta Sanctorum ingrediebantur Sacerdotio fungentes et sanctum calciare, quo et ipse indutus sum, eadem gerens tuo desiderabili et honorando capiti ex amore et dilectionis copia transmisi. „ Hoc modo scribebat Theodosius Patriarcha Hierosolymitanus S. Ignatio Patriarchae Constantinopolitano.

Polycrates, Episcopus Ephesinus in quadam epistola ad Papam Victorem (ann. *192-202*), relata ab Eusebio (*Hist. Eccl. v. 24*), citat nomen plurium Episcoporum Asiae, qui habebant eiusmodi ornamentum, et inter alios S. Ioannis Evangelistae; S. Hieronymus (*De Vir. ill. c. 45*), transmittit hanc traditionem, et dicit: " Supra pectus Domini recubuit, et pontifex eius fuit, auream laminam in fronte portans. „ Ac, si consideretur, prout dicit De Rossi, auctoritatem Eusebii in hoc esse valde attendendam, nulla superest ratio, ob quam in dubium vocetur hoc factum, quod relationem insuper habet in quadam sancti Pauli extra muros pictura, quae ad saeculum v. pertinet (Garrucci, Pl. CCXXXVII), in qua viginti quatuor seniores Apocalypsis *circumamicti vestimentis albis, et in capitibus eorum coronae aurae* inveniuntur. Retulimus superius textum sancti Gregorii Nazianzeni, in quo legitur, in sua consecratione impositum sibi in capite cidarium (*Bull. mon. 1886*: Barraud, *De Mitra*). Balsamon narrat, Coelestinum I, committentem sancto Cyrillo Patriarchae Alexandrino, ut eum repraesentaret in Concilio Ephesi (*ann. 431*), ius illi tribuisse *phrygium* deferendi; ius quod successores adepti

sunt. Verumtamen hoc testimonium satis validum non videtur, cum ad saeculum XII tantum sit referendum. Gelasius loquitur de quibusdam vitiis, quae faciunt aliquem *clericalibus infulis reprobabilem.*

Baronius opinatur, Ennodium ad infulam episcopalem alludere, iis in versibus, quos habet de Sancto Ambrosio (Ep. 77): „ Serta redimitus gestabat lucida fronte, — Distinctum gemmis; ore parabat opus. „ Insigne horum veterum episcopalium insignium est musivum opus S. Faustae, Mediolani (S. Ambros.), repraesentans S. Victorem in ecclesiastico amictu et frontem decoratum gemmato diademate (V saec.) Ferunt, anno 648, Papam Theodorum I, concessisse Abbati Bobbiensi Mitrae privilegium: " indulgemus ut liceat, abbatibus eiusdem venerabilis loci Mitra et aliis pontificalibus uti (*Hist. patr. monum. I. p. 7, 1831*). „ Sed Abbas Barraud in dubium revocat huius loci authenticitatem, qui in Bullario quodam Montiscassini asservatur. Notat autem equitem Ioannem Carolum Rossi argenteam laminam detexisse, quae forte ad Evangeliarium aperiendum inservierat, figuram praeseferentem Episcopi, indumentis sibi propriis amicti, cum vera Mitra in capite; verum nonnisi ad saeculum VIII pertinet (Cfr. Rohault De Fleury, *vol. VIII, pag. 115.* La Messe). Scriptores saeculi IX, v. g. Rabanus Maurus, Valfridus Strabo, nullam de Mitra mentionem faciunt (Smith, *Dict.*); saeculi X testimonia sunt frequentiora; satis sit citare sigillum Roriconis Episcopi (Rohault De Fleury *loc. cit.*), diplomati anni 968 appensum, in quo videtur Episcopus Mitram gestans eiusdem formae, quae hodie est in usu (Mabillon. *De re diplomatica, p. 451*). Quod posteriora saecula attinet, nulla quaestio: conveniunt et prioris sententiae fautores, inter quos Hugo Menardus. Concludendum ergo, una cum Caeremoniali Episcoporum, Mitrae usum esse vetustissimum (*Lib. I, cap. XVII*); assignari equidem potest multo ante saeculum X, quamvis

non omnia, quae supersunt documenta, omnimodam, pariant certitudinem.

Rebus sic stantibus, quomodo duae suprarelatae tam disparatae sententiae explicari possunt?

Cardinalis Bona (*Rer. Liturgic. I, c. 24, n. XIV*) eas conciliare conatur, inquiens, Mitram, ea forma, quae hodie est in usu, a saeculo x originem habuisse; verum haud inficiari posse, eam usque ab aevo apostolico, eius generis insigne quoddam speciale Episcopos habuisse. Idque probare satagit ex iis, quae de Alexandrino Patriarcha, et de S. Caelestino narrat Balsamon, et ex aliis. Ex opposito Mabillonius (*Praef. in saec.* IV. *Bened. part. 2, n. 182*) aliam carpit viam ad rem componendam, et ait, Mitrae usum semper in Ecclesia exstitisse, sed non singulis Episcopis facultatem factam fuisse a Papa eam gestandi; hac porro ratione, argumenta contrariae sententiae ad Episcopos referri valerent, qui eiusmodi privilegio non fruebantur. Mabillonius, ad suam assertionem confortandam, in medium fert concessionem a Leone IV Anschario Hamburgensi factam, suisque successoribus, ex qua, et usum Pallii tribuit et privilegium, ut valeret *ornari caput Mitra*. Idem probat ex privilegio ab Alexandro III Godewaldo Episcopo Traiectensi concesso, quo summus ille Pontifex facultatem Mitrae gestandae etiam eiusdem sedis successoribus extendebat. Ad quid hae concessiones exclamat Mabillonius, si omnes Mitram deferre potuissent? Martène (*De antiq. Eccles. rit. l. I*) non dubitat conclusioni Mabillonii adhaerere, ac refert quod narrat sanctus Bernardus in vita S. Malachiae Archiepiscopi Hibernensis, in qua describens Innocentii II benevolentiam in illum, ait Papam posuisse super caput eius Mitram, quam e suo capite abstulit. Ergo observat Martène, Malachias illo ornamento carebat. Idem vero Martène scribit, in monasterio Ordinis S. Benedicti, in quo degebat, vidisse nonnulla Episcoporum saeculi XII

documenta, quorum sigilla effigiem Episcopi Mitra non ferebant ornata.

Ex iis duabus sententiis (Bonae scilicet et Mabillonii), quaenam praeferenda? Mabillonius, fatemur, sua hypothesi modum requirere vellet ad rationes explicandas, ob quas scriptores, qui Mitrae originem ad saeculum x referunt, decipi in sua opinione potuerunt, et hac ex parte Bonae praevalet. Hic tamen exprimit solummodo factum, quin de rationibus inquirat, quae cum non sint indolis omnino generalis, ita ut regulam efforment, efficiunt tamen, ut eius opinio, tamquam simplicior, acceptior evadat.

Hinc concludimus: usus Mitrae in Ecclesia est antiquissimus, et originis apostolicae. Verum Mitra, quod formam attinet nunc usitatam, nonnisi saeculo x adhiberi coepit.

3. Num Mitra utatur Ecclesia Greca?

Non semper constans fuit usus Mitrae in Ecclesia Orientali, saltem pro Episcopis, plura enim documenta docent, hoc privilegium Patriarchas exclusive respexisse. Ita, apud Canisium (*Tom. VI, ant. Lect.*) legimus: " Omnes orientales praelati annulis et mitris pontificalibus non utuntur, sed baculos pastorales portant in manibus. „ Quoad Patriarchas tamen sequentia habemus documenta; de Patriarcha Alexandrino, testimonium Theodori Balsamonis (*Medit. de Patriarch. privil. lib. 7 Iuris Orient.*) sic sonat: " cum omnes alii pontifices capitibus apertis res sacras peragant solus Alexandrinus patriarcha rem divinam facit mitra caput obvolutum. „ Idem Balsamon (*l. c.*) et Nicephorus (*l. XIV Hist. Eccl. c. 14*) ferunt, hoc privilegium concessum fuisse a Coelestino Papa Patriarcha Cyrillo Alexandrino, ut superius diximus, unde eruitur, ante Cyrillum, Patriarcham illius civitatis Mitram non consuevisse deferre. Attamen Martène (De antiq. Eccl. Rit. *l. 1. cap. IV, n. 2*) opinatur etiam S. Marcum primum Alexandriae Episcopum Mitram habuisse, quod ex actibus martyrii eius desumit; hinc, supposita acti veritate, consequitur

iam ab origine Patriarcham Alexandrinum Mitram detulisse. De Patriarcha Costantinopolitano, idem Martène (*l. c.*) ex hoc deducit Mitram habuisse, quod Ioannes Patriarcha Constantinopolitanus, cum regali diademate cingeret Andronicum imperatoris filium, in capite gestasse " flammeum seu tegmen, Servatoris nostri, Deiparae ac B. Iohannis Baptistae depictis in eo (tegmine nempe) iconibus. „ Quod Patriarcham Hierosolymitanum attinet, testimonium superest Theodosii Patriarchae ad S. Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum, in actione I Concilii generalis VIII, quod iam notavimus. Alexander IV autem Patriarchae Hierosolymitano, qui officio fungebatur Legati S. Sedis, permisit ut insignia deferre posset Papae propria, inter quae profecto Mitra est adnumeranda.

Nonnulla quae habentur testimonia graecam Ecclesiam speciatim attingentia, suadent illam nunquam Mitrae usum habuisse, aut saltem primaeva in aetate. Ita Cardinalis Bona (*Rer. Liturg. lib. I, cap. 24*) asserit: " Nullus est in Graecia Mitrae usus, „ et id deducit a Simone Thessalonicensi, qui in libro *De Templo* refert, quod Episcopi graeci " aperto capite sacris funguntur, „ et confirmat Vitriaci testimonio (*Hist. Or. c. 78*), et Gretser (*in Codinum l. I, c 16*), qui ait: " Mitra seu infula non utuntur Episcopi graeci in Sacrificio, sed aperto capite totam liturgiam perficiunt. „ Non videtur tamen hoc conciliari posse cum aliis testimoniis, quae iure dant inferre Ecclesiam graecam etiam antiquitus, nisi in praxi, saltem theorice, non respuisse usum Mitrae. Et re sane vera Catalanus (Com. in Pont. Rom. *proleg. cap. XIX, n. 10*) refert, quod Innocentius III " ad Romanae Ecclesiae unitatem venienti Basilio Trinobi Episcopo postquam illum in totius Bulgariae et Blachiae primatem evexisset una cum pallio Mitram misit chirothecam et annulum: ille autem summo Pontifici gratias egit. „ Idem Innocentius III, instante novo Patriarcha Constantinopolitano Thoma a Flandris, qui

ab eo flagitaverat ut insignire posset " constitutos vel constituendos in Ecclesiasticis dignitatibus Mitris, Annulis et Sandaliis „ respondit libenter annuendo. De Episcopis, quos Michael Palaeologus ad Concilium Lugdunense misit sub Gregorio, Georgius Pachymeres (*lib. V. c. 21*) ait, quod " perhumaniter illos excepit adeo ut eos honoraverit Mitris. „ His proinde testimoniis, quae dicunt Cardinalis Bona, Goar (in Not. ad *Euchologium* graecum, *pag. 431*) et alii conciliari posse videntur, affirmando, saltem Episcopos Graecos usum Mitrae approbasse nec respuisse, a praxi praescindendo, quod revera ea usi sint in functionibus.

Si praesens graecorum Episcoporum mos inspiciatur, nullum haberi potest dubium, nonnullos saltem eorum Mitram adhibuisse. Catalanus (*loc. cit.*) et Martène, (*De ant. Eccl. rit. l. I, c. IV, n. 2*) referunt, se vidisse Episcopos graecos celebrantes cum Mitra, quae ceterum eamdem formam non praeseferebat, quam nos nunc habemus, cum illa rotundae formae sit et non acutae, oblongae, sed obtusae. Goar in suo Euchologio (*pag. 257 et seq.*) refert quod sibi scripsit Leo Allatius explicite edicens, Episcopos graecos etiam in processionibus Mitram gestare. Renaudot (*lit. orient, pag. 56, Tom. II*) post descripta varia insignia Episcoporum graecorum in functionibus, subdit, ipsos usos fuisse ornamento *Homnico* appellato (quod tamen nescit quid significet) et corona seu Mitra, observans: hanc, formae quamvis diversae, " esse in usu apud orientales constat. „

4. Quomodo triplicis generis Mitra evaserit?

Haec sunt verba Caeremonialis Episcoporum (*lib. I.c. XVII*): " Eius (Mitrae videlicet) triplex est species; una quae *pretiosa* dicitur:... altera *auriphrygiata* sine gemmis et sine laminis aureis vel argenteis., tertia, quae simplex vocatur, sine aureo ex simplici serico damasceno vel alio, aut etiam linea. „ Haec distinctio multa antiquitate gaudet: Ordo equidem romanus XIII, iussu Gregorii X conscriptus, num. XII iam

similiter distinguit. Quanam vero ex ratione Mitra triplicem formam adepta est, duplicem esse putamus: primo ratio solemnitatis, secundo commoditatis. Prima implicite includitur in Caeremonialis Episcoporum declaratione (*lib. I, c. XVII, n. 2, 3, 4*), qua praescribitur Mitram pretiosam adhibendam esse " in solemnioribus festis, et generaliter quandocumque in officio dicitur hymnus *Te Deum laudamus*, etc., et in Missa *Gloria in Excelsis Deo*, etc; „ auriphrygiatam " ab adventu Domini usque ad festum Nativitatis, excepta Dominica III Adventus... Item a Septuagesima usque ad feriam IV Maioris Hebdomadae inclusive, excepta Dominica IV Quadragesimae... Item in omnibus vigiliis, quae ieiunantur, etc. „

Quoad simplicem dicit: " Simplici vero Mitra utitur Episcopus feria VI in Parasceve et in officiis et Missis Defunctorum. „ Hinc praefatus codex usum Mitrae pro variis temporibus moderans, ostendit Sacram Liturgiam illam triplicem formam aptare voluisse diversae Caeremoniarum qualitati: ritus proinde earum determinat et exigit triplicem praedictam speciem.

Altera porro ratio evidens est. Revera, ex eo quod Mitra pretiosa est contexta gemmis et lapidibus pretiosis, vel laminis aureis vel argenteis, non leve pondus affert. Unde haud parvum esset incommodum, si Episcopus ea uti deberet per totam functionem, et substituitur a leviori: *potius ergo ad commoditatem, quam ex necessitate immutatur, ne scilicet Episcopus nimis gravetur* (*Caer. Episc. l. c. n.* 2). Methodum quoque designat illius alternis vicibus immutandae (*l. c.*). Verumtamen si haec ratio alicuius est ponderis ad substitutionem Mitrae auriphrygiatae pro pretiosa inducendam, haud tamen sufficit ad substitutionem inducendam simplicis pro auriphrygiata quam Caeremoniale ibidem ponit, quando officia illam requirunt, quae profecto nimium non affert gravamen. Sed cum his quoque in casibus maius haberi possit commodum, id non denegat codex.

5. Quid significet Mitra?

Innocentius III (*De Mysteriis Missae. lib. I. c. 60*) docet Mitram significare scientiam utriusque Testamenti. Anterius cornu novum designat, posterius vetus, quae Episcopus memoriter habere deberet. Durandus (*Rationale Div. off. l. III, c. 13*) notat, aliquos haereticos Mitram ex duobus cornibus constantem condemnasse, prout et Episcopum eam gestantem, sese referentes ad verba Ioannis in Apocalypsi (*cap. 13*): "Vidi bestiam abscendentem de terra, et habet cornua duo similia agno, et loquebatur sicut Draco." Sed uti observat Catalanus (*Com. in Pont. Rom. cap. XIX*), hic idem locus S. Ioannis antiquos novosque haereticos damnat, namque, aut duo cornua duo significant testamenta, et tunc, quamvis agni apperere velint, falsa eorum interpretatione alios in errorem inducunt; aut scientiam et vitam significant, quae vere fuerunt in Christo, et tunc utramque simulant possidere iidem haeretici, dum revera illa carent. Binae Mitrarum fimbriae, iuxta eumdem Innocentium (*l. c.*), spiritum et litteram significant, nempe, observat Durandus (*l. c.*), per ipsas intelligitur, Episcopum paratum esse debere tam ad mysticum, quam ad litteralem sensum sacrae Scripturae. Circulus aureus utramque complectens Mitrae partem indicat, quod *omnis scriba doctus in regno caelorum de thesauro suo profert nova et vetera;* caveat igitur Episcopus, prosequitur Durandus, ne magister esse velit, antequam discipulus fuerit; namque si caecus caecum ducit ambo in foveam cadunt; ac de gravibus meminerit minis a Deo in veteri lege intentatis contra sacerdotes veteris Legis: *quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi* (*Osee 38*). His conformia sunt et plura vetera documenta; v. gr. eptaiphium Godefridi Episcopi Ambianen. († 1236), ut notat Rohault de Fleury (*La Messe, vol. VIII*), habet: "Quem laurus gemina decoraverat in medicina legeque divina, docuerunt cornua bina." Cardinalis Iacobus, magis explicite, ut refert

Barbier de Montault (*Mitre romaine*), de Bonifacio VIII loquens: " Cornua fronte gerit duplicem signantia legem. — Legem quippe novam Christi, veteremque figuram. „ Alias interpretationes omittimus, nimis forte arbitrio creatas, v. gr., de rubeis frangiis, quae a Durando significare dicuntur Episcopum paratum esse debere ad fidem et sacram Scrip-, turam tuendam, usque ad sanguinis effusionem, etc.

II. Quaeritur nunc, utrum determinatus in Mitra color iuri liturgico respondeat, et quare cum paramentorum colore convenire non debeat; cum, tamen conveniant sandalia, caligae et chirothecae?

Si a Mitra pretiosa praescindatur, in qua vix esse color dici potest, ut patet ex Caeremoniali, auriphrygiata esse potest, praeterquam aliter confecta, ex serico *albo* auro intermixto, tertia vero omnino *alba*. Alius vero color penitus interdicitur, uti ex sequenti Decreto constat: " *Lincien.* R.mus Dominus Franciscus Salesius M. Doppelbauer Episcopus Lincien. insequentia Dubia pro opportuna solutione S. R. C. humillime subiecit; nimirum: Dubium I. An tolerari possit Mitra coloris rubri vel violacei, quando paramenta sunt eiusdem coloris? Dubium II. Cuiusnam coloris debent esse Caligae, Sandalia et Chirothecae?... et S. R. C... ita rescribere rata est; videlicet: Ad I. Non esse prorsus tolerandam; et super Mitrae qualitate et usu consulendum Caeremoniale Episcoporum Lib. I, Cap. XVII. Ad II. Coloris paramentorum... die 17 Maii 1890. „ Ergo, ex iure liturgico Mitra esse nequit, nisi triplicis memoratae speciei; Sandalia autem caligae et chirothecae coloris respondentis paramentis. Quaenam autem sit vera ratio, cur, dum Sandalia, etc., debent esse coloris diversi, non item Mitra, nunc inspiciamus. Profecto, si ratio convenientiae attendenda esset, videretur, quod potius uniformitas deberet retineri colorum, cum v. gr. in Missis defunctorum valde dissonum sit Mitram haberi albam dum paramenta sunt nigra; ergo non hic est requirenda. Usus

constans, qui a nonnullis tamquam sufficiens ratio adducitur, nihil explicare valet, namque et ille pro fundamento habere deberet intrinsecum motivum. Unde vera ratio usus a iure liturgico determinati in ipsa origine Mitrae est requirenda. Et sane, quid est Mitra? Ornamentum seu melius *corona* capitis. Ipsa quippe variis distinguitur nominibus, quae eodem conveniunt in conceptu; appellatur, ut diximus, cidaris, thiara, infula, phrygium, corona sacerdotalis, quae omnia ideam exprimunt ornamenti, et ad genericum conceptum reducuntur coronae. Nunc vero corona non est paramentum, ideoque ab his praescindit: Nulla igitur adest ratio ex qua convenire debeat cum paramentorum colore. Id ex eo confirmatur, quod Mitra, ut patet ex Caeremoniali, auro, argento, gemmis, lapidibus ab origine precipue constabat, nunc autem horum saltem vestigia permansere in Mitra, quae dicitur pretiosa.

Quod attinet autem Sandalia, etc., diversimode se res habet; quia si illa non sunt vera paramenta, partem tamen eorum intrinsecam constituunt, et ideo respondere debent colori paramentorum. Hinc adaequata S. R. C. responsio in super citato Decreto.

III. Num censendi ratio Caeremoniarum magistri ipsiusque Episcopi sit probanda, vel quid eis suggerendum?

1. Grimaldus una cum suo Caeremoniario, potiusquam ratiocinium instituere pro usu Mitrae, et quaestionem agitare an caligis, sandaliis et chiroteacis respondere deberet, Caeremonialis legi, atque universali consuetudini attendere debebant. Vidimus ceterum haud verum esse, rationem non suppetere, ut illi sentiebant, ex qua non idem dicendum veniat de istis ac de illa.

2. Quod autem notitia accepta Decreti S. R. C. consultius esse censuerint posse adhuc Mitris diversi coloris uti, donec consumerentur, nullimode probari potest. Lex enimvero positiva et certa omnimodam promptamque executionem exigit,

ne ullum unitas iuris liturgici patiatur detrimentum; hoc enim, praescindendo a legitima auctoritate, non creatur, sed servatur. Ratio igitur agendi tam Episcopi quam caeremoniarum magistri, probari nequit, eisque suggerendum, ut S. R. C. Decreto sese obsequentes ostendant, Mitras tantum a Caeremoniali praescriptas servando, alias autem penitus proscribendo.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Mexico.* **De cohaerentia inter** *Ephemer. Litugr.* et **Rubricam Missalis Romani.** 1. Num optime cohaeret responsio ad *a*, quae habetur in N. 1 *Ephemeridum*, huius anni, pag. 19, cum Rubrica Missalis Romani p. I, tit. IX, n. 9?

Resp. Nullum dubium quod prima pars responsionis, nempe quod Oratio *A cunctis* non sit dicenda in casu, optime Rubricis cohaereat. Quoad secundam responsionis partem vero putamus conclusionem rectam esse, etsi non optime se explicent Ephemerides; non enim, uti dicunt, Oratio *Ecclesiae* vel pro Papa esset 2 Oratio in casu, sed 3, cum 2 Oratio sit de Spiritu Sancto (Rubr. citata). Conclusio igitur esset, quod haec Oratio, nempe de Spiritu Sancto, tertium locum habere debeat in Misis votivis de S. Ioseph. Non recte igitur loquuntur; sed non ita est de ipsa conclusione. Nam Oratio de Spiritu Sancto, quae secundum locum tenet in Missis votivis de B. Maria, et infra octavas Eiusdem, est propria, adeoque non temporis currentis; et hoc ob specialem nexum, per quem Sacrarium Ipsa est Spiritus Sancti. Adde quod haec Oratio in Missis votivis de Beata, et infra octavam, vices supplet Orationis de Ipsa Beata, quae secundo loco dicitur infra octavas Sanctorum, ne bis de ea fieret. Cum igitur propria saltem quodammodo sit Oratio de Spiritu Sancto, minime sumenda venit pro

tertia Oratione in aliis Missis votivis; adeoque in his, quae tertio loco habetur infra octavam, in casu, nempe *Ecclesiae* vel pro Papa, sumenda, salvo meliori iudicio, videtur.

Diximus *salvo meliori iudicio*, nam et sententia opposita, nempe quod dicenda sit, quae secundo loco habetur infra octavam B. M. V. hoc est de Spiritu Sancto, non caret sua probabilitate. Rubrica enim nihil excipit, et rationes superius adductae non ex ipsa lege et ex interpretatione eius erutae sunt, sed ex natura et fine, seu ex causa motiva eius, adeoque plenam auctoritatem non habent; et reprehendi non potest, si quis aliter se gerit.

2. In responsione ad idem dubium III, ad *b)* habetur, quod in Missa votiva solemni, celebrata iam Missa conventuali, duae tantum Orationes dicendae sint, contra generalem normam de Missis votivis non *pro re gravi* et pubblica Ecclesiae causa.

Resp. Ephemerides ibidem recte docent in casu applicari posse dispositionem Rubricae (*Rit. VII, n. 2*), quoad commemorationem de die; sed minus recte ad casum applicuerunt dispositionem decreti **2325,** quod respicit tantum Missam de feria, tempore Passionis, quo *duae* tantum Orationes praescribuntur a Rubrica, cum e contra eodem in tempore in Missis de Sanctis vel votivis *tres* dici debent. Igitur cum nulla adsit ratio, quae nos cogat dispositionem generalem circa Orationes in Missis votivis relinquere, ideo concludendum, in casu proposito, tres Orationes dicendas esse; quae erunt, ut supra, ad *a)*, pro Missa votiva privata. Etsi enim, ut supra diximus, recte applicari potest in casu dispositio Rubricae (*VII, 2*), attamen nulla lex cogit, cum ibi agatur de Missis officio respondentibus, saltem aliquo modo, quae nempe ex Rubrica praescribuntur; hic autem de Missa votiva, quae nullam cum officio relationem habet; adeoque tamquam non esset pro choro, et tamquam extra chorum. Hinc pro huiusmodi Missa facit dispositio decreti generalis III, 3; qua statuitur, infra octavas etiam tres dicendas esse Orationes, nempe de Missa,

quae celebratur, 2 de octava, et tertia de tempore, hoc est, quam supra diximus, in Resp. ad 1.

Haec pro responsione ad animadversiones factas ad solutiones datas in his Ephemeridibus n. 1 huius anni, p. 19. Sed non diffitendum quod haec omnia, quae dicta sunt, niti hac interpretatione decreti **3922** ad III, n. 3, nempe quod verba *tertia autem de tempore*, intelligi debent, tempore *currenti*, nempe, quae infra octavam dici debent; quae interpretatio omnino certa et evidens non est. Per haec namque verba nunquam in Rubricis et decretis intelliguntur quae Sanctorum sunt; sed quae per annum liturgicum occurrunt. Quod si decretum Orationes respiceret, quae infra octavas dici debent, non dixisset distincte, *secunda de octava, tertia de tempore, sed secunda et tertia, quae prima et secunda veniunt infra octavam:* vel *secunda de octava, tertia, quae secundum locum tenet infra octavam, seu, de B. Maria,* vel simplicius *secunda et tertia uti in semiduplicibus infra Octavam* (*Rub. IX, 7*). Videtur igitur, per verba, *de tempore*, decretum revera respicere ad Orationem quae illo in tempore liturgico dicenda venit in semiduplicibus; quae uti ex Rubrica patet (*IX, 2,*) in casu est *A cunctis*. Sed dices: Oratio *A cunctis* ex Rubricis dicenda tantum venit quando dicuntur suffragia; ideoque non infra octavas, quae suffragia respuunt. Primo hoc non semper verificatur; seu, non semper, quando suffragia dicuntur, etiam *A cunctis* dicenda venit (*Rub. IX, 3*). Secundo, Missa votiva, etsi solemnis, utique in Rubricis quodammodo assimilatur Missae de feria, canenda namque est post *Nonam;* et nullum cum festo relationem habet; nil igitur mirum, si praeter commemorationem officii currentis nil de festo vel octava referat. Dices, numquid praefationem octavae, si haec propriam habeat, non dicenda est? et quare, nisi quia currit illo in tempore? Ergo et Orationes. Sed diversus loquendi modus, quo decretum utitur pro Orationibus, et pro praefatione, diversam dispositionem pro utrisque indicat; pro Orationibus nempe, quin remittat ad dispositiones Ru-

bricarum, uti facile potuisset, et liquido, singillatim determinat; pro praefatione vero ad Rubricas amandat.

Quid igitur? Verbis decreti pressius inhaerendo haec sententia verior; spiritui vero et rationibus illa consona, sua non caret probabilitate.

Sed veritas magis magisque patescet, uti confidimus, ex solutione quam proximo mense vulgabimus, ex iis, quae a Ven. Consociatis mittentur.

II. *E Benevento.* **De Missa ex fundatione canenda post aliam de festo.** Die 14 Augusti occurrit anniversarium, pro quo Missa alia de festo occurrenti canenda est post Missam conventualem de festo. Quaeritur, in hac Missa anniversarii facienda ne est commemoratio Vigiliae et legendum eius Evangelium in fine; vel canenda ritu proprio Missae conventualis, nempe sine commemoratione Vigiliae, cuius Missa canenda est post Nonam, et cum Evangelio S. Ioannis in fine?

Resp. Ex dispositione Rubricae (*Tit. VII, 2*), quando canendae sunt, ut in casu, duae Missae conventuales, nulla commemoratio alterius facienda est in unaquaque. Sed Missa anniversarii quamvis et ipsa de festo, non est conventualis, alioquin cani minime posset, cum prohibitum sit ex decretis de eodem duas Missas conventuales canere: quamvis igitur a Capitulo anniversarium hoc celebrari debeat, non tamen tanquam officio respondens persolvi valet, sed omnino extra ordinem officii, ideoque post Nonam et Missam Vigiliae. Hinc non iuxta dispositionem citatae Rubricae ordinanda videtur, sed iuxta dispositionem eiusdem Rubricae, Tit. III, 2 (*Si autem*). Nam tales Missae cantatae, etsi a capitulo, canendae sunt tanquam extra chorum, hoc est eo modo quo in Ecclesiis non collegiatis, in quibus absque dubio commemorationes occurrentes fieri debent. Obstat tamen quod praescribitur pro Missa festivo-votiva de Sancto transferendo: nempe, quod si et alia Missa de die canenda sit, tum absque commemoratione illa cani debet. Videtur nempe certum principium

esse, quandocumque duae Missae canuntur commemorationem unius fieri non debere in altera. Et quid interest an semel vel bis eadem canatur, aut conventualis sit an non? Semper verum est in una fieri non debere commemorationem alterius. Imo dedecet eandem Missam diverso modo cani eadem die, eodemque in loco. Putamus igitur, in casu, Missam anniversarii eodem modo cani debere ac Missam conventualem, nempe absque commemoratione Vigiliae et cum Evangelio S. Ioannis in fine.

III. *Ex eodem loco.* **De Symbolo in festo S. Aloisii Conf.** Vetera calendaria statuunt, dicendum esse *Credo* in festo S. Aloisii, et in nota habent: *in Decreto concessionis;* quod tamen non invenitur. Quaeritur ergo an possit dici *Credo*, dicto in festo?

Resp. Festum S. Aloisii, ni sit Titulus vel Patronus, ius non habet per se ad Symbolum in Missa; sed quod per se quis non habet, adquirere posse ex concessione manifestum est.

Sed an extet nec ne concessio dubitatur, cum documentum non habeatur. Sed numquid mentiri dicenda sunt publica documenta a legitima et competenti auctoritate recognita et publicata? Si tantummodo citata calendaria haberent, dicendum esse *Credo*, et nihil aliud indicassent, supponi posset errorem irreptum ex inadvertentia; sed ex hoc quod expresse in nota indigitatur causa per verba adducta, *in decreto concessionis*, non tantum ignorantiae, sed malae fidei arguendi essent et calendarii redactores, et Episcopus ipse, imo et clerus omnis; qui cuncti certo certius inexistentiam decreti et scire poterant et sciebant.

Calendarium igitur, hoc in casu, est publicus testis concessionis; adeoque, etsi nunc ipsum decretum non inveniatur, minime dubitare possumus num iam extiterit. Continuari igitur utique potest usus addendi *Credo* in festo S. Aloisii.

IV. *Ex cod. loco.* **De Symbolo in festis Patronorum.** In festis S. Francisci de Paula dupl. 2 cl. cum octava,

utpote Patroni; S. Antonii a Padua dupl. 1 cl. cum octava, item Patroni; et S. Dominici dupl. 2 clas. cum octava, etiam Patroni, dicitur *Credo*, uti vetera calendaria adnotant; quin decreta concessionis inveniantur. Recte ne?

Resp. Ex pluribus decretis S. Rituum Cong. nempe, n. **1854,** n. **2378,** ad 9, et n. **3201,** ad 3, vetitum est omnino addere Symbolum in festis Patronorum minus principalium; quod tantum locum habet in festis Patronorum principalium vel aeque principalium, si sint plures, et Sacra eadem Congregatio expresse iubet abrogandam consuetudinem contrariam. Si igitur aliquis ex adductis Sanctis non est principalis Patronus, quod argumentandum profecto est ex ritu duorum qui est 2 classis tantum, et decretum non habetur concessionis Symboli in eius Missa, sed tantum indicatur in antiquis calendariis, abroganda haec praxis est, ut conformari quisque se valeat decretis, prout faciendum omnino est. Ad consuetudinem cohonestandam necessarium esset positivum indultum; de quo cum nullum habeatur indicium, res iuxta legem est moderanda.

V. *E Curenna.* **De Festo Titularis in diem octavam transferendo, quae est Dominica 2ae classis.** Festum Titularis impeditum die sua ob Dominicam primam Adventus, potest ne reponi in die sua octava, iuxta decretum **3893,** etsi occurrat Dominica 2 cl. cum non adsit locus alius infra octavam?

Resp. Certum est ex citato decreto, festum quodcumque duplex habens octavam, adeoque et Titulum, reponi debere, in ipsa die octava quandocumque, impeditum die sua, locum aliud non habeat infra octavam, in quo reponi possit; dummodo eo die non occurrat aliud festum potius, cui et in die sua locum daret: et hoc etiamsi accidat die dominica; quod espresse additum est, ut occurratur dispositioni rubricarum, qua statuitur, in dominica quacumque numquam reponi posse quodcumque festum

translatum, etsi 1ª classis. Et notandum, quod haec exceptio ex rubrica fit tantum pro die octava, non vero pro diebus infra octavam; ita ut festum translatum non possit reponi in die libera infra suam octavam, si haec dies occurrat in dominica quacumque, etiam semiduplici. Exceptio igitur datur tantum pro die octava, in qua tantummodo reponi potest festum translatum, etsi incidat in Dominica.

Dummodo igitur festum quod reponi debet celebrari poterit die sua si incidat tali in Dominica, reponi etiam potest in die sua octava etsi similis Dominica occurrat: aliter, si Dominica non respuit festum die sua, nec abnuit ut reponatur in ipsa dummodo occurrat eius octava.

Attamen, etsi verba decreti generalissima sint, aliquam exceptionem videtur admittendam quoad festa amovenda. Ex decreto namque quo festum feriatum proponi posse statuitur festo eiusdem ritus sed qualitate seu dignitate praestantius, uti festum Sancti Patroni festo Dedicationis Ecclesiae propriae, consequi videtur quod tale festum feriatum, occurrens in die octava festi translati, adeoque ibidem reponendum ex decreto **3893,** etsi dignitate vel qualitate inferius, cedere non debere locum suum. Si enim cum eodem festo occurrens non cederet locum suum, quanam ratione illum cedere debet die octava ut tantum reponatur? E. g. Festum Sancti Patroni utpote feriatum praevalet festo Dedicationis Ecclesiae propriae; altero in anno festum mobile Dedicationis impeditur die sua, et per totam octavam: die vero octava occurrit illud ipsum festum feriatum S. Patroni; ni exceptio fieret decreto **3893,** hunc, utpote dignitate inferius, cedere deberet locum ut reponeretur illud in die sua octava; et quod non cessit occurrens die propria, cedet occurrens in octava, hoc est in die repositionis: quod est absonum.

Videtur igitur quod dispositio huius decreti extendenda non sit ad hunc casum.

Sed etiam hac exceptione facta, alia non parva incom-

moda videntur exurgere ex hac tam lata interpretatione decreti. Evenire enim potest aliquando quod aliquod festum, etiam classicum, habens octavam amovendum et ipsum sit et amandandum, forte extra suam octavam, eamque privari ob repositionem alterius festi iam amotum e die sua, uti in exemplo supra allato.

Fatemur quod aliquando aliquod accidere poterit incommodum ex hac lege; sed hoc commune est legibus omnibus, nec unquam in humanis lex ulla statui posset si omnia incommoda etiam accidentalia vitanda essent. Per se, quod ad nos spectat, dies octava libera fere semper est, saltem privilegio; semper igitur dat locum repositioni festi, ex qua dependet; quod utique primas habere debet supra aequalia saltem festa accidentaliter occurrentia.

Bene igitur festum habens octavam impeditum die sua, et locum non habens infra suam octavam, reponi potest in ipsa die octava, etsi incidat in Dominica privilegiata 2 cl.

Et merito, nam dies octava non tantum consideratur uti extensio festi, sed uti festum ipsum, quod eo die expletur; insuper eo die officium de festo faciendum esset; et quoniam de octava fieri non potest, cum nondum incepta sit, rationabiliter fit de ipso festo. Hoc infra octavam non accidit; nam in die libera infra octavam, etsi currat, de Dominica agendum est si occurrat, non de die infra octavam, quanto magis si non currat cum nondum incoepta sit?

Merito igitur statutum est quod, etsi dies octava incidat in Dominica fieri potest de ipso festo translato. Sed hinc dubitatio exurgit: ex dictis namque ideo eo die reponi potest quia et de octava eiusdem fieri oporteret; ergo si et de ipsa octava fieri non potest officium, sed tantum commemoratio, nec ea die reponi festum potest, uti in exemplo allato, de die infra octavam. In Dominicis vero 2 cl. non fit de octava nisi tantum commemoratio, uti et de die infra octavam. Sed aliud est aliquid esse rationem motivam legis, aliud

dispositionem eiusdem, per quam quid amplius conceditur pro repositione in die sua octava, quod ipsi octavae datum non est: datur namque, uti supra habitum est, non solum ut eo die reponi possit, etsi incidat in Dominica, quod esset contra rubricam, ex qua exceptio datur, sed etiam etsi occurrat quodcumque festum duplex, dummodo potius eo non sit; quod est etiam contra rubricam, et ex qua item excipitur.

Quoddam igitur magnum et singulare datur pro hac repositione in die octava, quod non datur infra octavam, etsi semidaplex tantum occurrat; adeoque nil mirum si et Dominica privilegiata 2 cl. comprehendat. Ex eo enim quod absolute loquatur decretum, nihil excipit, nisi quae natura sua excipienda veniunt.

Sed haec interpretatio decreti non videtur recta; nam ibi non dicitur " etsi occurrat festum potius festo ipsi translato „, sed simpliciter " dummodo non occurrat aliud festum vel primarii qualitate, vel dignitate superius „; quae verba non ad ipsum festum referenda sunt, sed ad diem octavam, ita ut sensus sit: nisi occurrat festum potius die octava, adeoque et de Dominica hoc dicendum; supponit enim, dummodo de die octava agendum sit, quod locum non habet in Dominicis privilegiatis 2 cl. Sed sensus iste nimis absonus videtur, imo et incommoda non pauca parit.

Ex rubrica enim dies octava praevalet etiam duplici maiori, quamvis ipsa sit tantum ritus duplicis; praevalet etiam etsi dignitate vel qualitate inferior, contra id quod statuitur in decreto ita intellecto; ita ut non privilegium concessisset, sed quodammodo depressisset, quod falsum omnino est. Verba vero decreti manifeste comparationem inducunt inter festum et festum et non inter festum occurrens et diem octavam, quae nunquam festum vocatur.

Hinc privilegium datur festo habente octavam, impeditum in die sua et infra octavam, ut reponi possit in ipsa

die octava, amoto inde quocumque alio festo, quod ipsi potius non sit, et quamvis in Dominica id accidat.

Cum igitur festa 1 cl. celebrari possint in Dominicis privilegiatis 2 clas., et festum reponendum in ea removere possit si occurrat in die sua octava, ut ipsummet reponatur; quanto magis reponi potest in Dominica 2 classis, quae eis cedit? E. g. Festum S. Andreae Ap. Titularis Ecclesiae, adeoque 1. cl. cum octava, occurrens in Dominica I Adventus transferri debet, et quoniam infra suam octavam dies libera deest, reponendum est in die octava, quae et ipsa occurrit in Dominica II Adventus 2 clas. et simul occurrit festum S. Ambrosii dupl. 1 clas. ibidem. Absque dubio si in illa die reponendum non esset festum S. Andreae, celebraretur festum S. Ambrosii; ast ex decreto, abstrahendo nunc a Dominica, proculdubio festum S. Ambrosii amoveri debet ut reponatur ibi festum S. Andreae Ap. dignitate superius.

Quid interest igitur sit nec ne Dominica 2 classis? Anne ob hoc amoveri non debet festum S. Ambrosii? et si amovendum est, nonne id fieri debet ut reponatur ibi festum S. Andreae? ergo illa in Dominica reponi potest. An forte fieri potest si aliud festum amovendum sit, minime vero si tale festum non occurrat?

VI. *E Neapoli.* **De S. Michaele Arch. Titulari nominando in Missa votiva Angelorum in Oratione** *A cunctis.* Omitti ne debet nomen S. Michaelis in Oratione *A cunctis* in Missa votiva Angelorum, ubi est Titulus, sicut omitti debet ipsius commemoratio in officio votivo Ss. Angelorum?

Resp. Iuxta commune adagium ex Rubricis desumptum, nempe *non bis in idem,* certum est quod minime nominandus venit in Oratione *A cunctis* Sanctus, de quo Missa celebratur, aut de quo commemoratio fit. Hinc quandocumque hoc occurrit vel omittendum nomen Sancti, vel assumenda Oratio *Concede,* uti faciendum docet S. R. C. suo decreto n. **2597**, ad 3.

Haec certa sunt. Attamen si Sanctus nominandus in Or. *A*

cunctis, minime nominatus sit, sed tantum comprehensus inter omnes, de quibus in communi celebratur Missa, vel fit commemoratio: ex. gr., ut in casu, in Missa votiva Angelorum S. Michael, vel in Missa officii votivi de omnibus Ss. Apostolis Ss. Ap. Petrus et Paulus, idem ne dicendum? Ita videtur, quid nempe si una cum sociis recolitur, dummodo recolatur, numquid non bis recoleretur. Non expressa nominatio facit ut recolatur, sed cum obiectum est actionis; alioquin quandocumque in Oratione alicuius Sancti etiam propria, nominatus non sit, uti non infrequenter accidit, nominari deberet in Or. *A cunctis*. Ex. gr. in Missa votiva S. Callisti P. M. in Ecclesia eius nomine dicata. Hoc non obstante, utique putamus nominari posse imo debere in casu S. Michaelem; nam etsi in communi recolatur cum omnibus Ss. Angelis, non tamen specialiter commemoratur; et ex dispositione decreti **4043**, V, de Titulo specialis commemoratio facienda est, nec sufficit cum sociis communis. Quod si in Officio votivo Ss. Angelorum de S. Michaele fieri non debet commemoratio, etsi sit Titulus, hoc ideo quia eadem omnino est Oratio; et cum alia non habeatur, ne bis dicatur, commemoratio omittitur. Quae dispositio ad casum non aptatur. Neque item valet, quod de S. Callisto adducitur; nam de ipso est Missa, quæ dicitur, etsi in Oratione non nominetur.

VII. *Ex eodem loco.* **De quadam incohaerentia inter nonnulla Decreta.** Quomodo cohaerent, quae habentur in decreto n. **4006**, ad VII, et **4043**, II, cum iis, quae in eodem decreto **4043**, V, dicuntur?

Resp. Utique commemorationem eius, de quo actum in officio est, faciendam non esse et decreta docent et ratio. Hinc de B. V. et de S. Ioseph non facienda edicitur, si de S. Familia actum sit, decreto **3929**, ad 2.

Sed obstat dispositio IV decreti **4043**, qua statuitur, quod " si vero tam officium diei, quam commemorationes circa idem obiectum, haud tamen sub eadem ratione versentur, tunc

commemoratio Tituli non omittatur. „ Imo et dispositio V, qua statuitur: " de Titulo commemoratio fiat omnino specialis, nec sufficit eidem cum aliis Sanctis non Titularibus communis. „ Videtur igitur, ex hac dispositione in Ecclesia dicata S. Michaeli Archangelo, in officio votivo Ss. Angelorum fieri debere commemorationem de eodem S. Michaele, contra id quod supra cautum est in hoc eodem decreto II, et expresse statutum, decreto **4006**, ad VII.

Et quod haec non tantum respiciant Titulum, sed et alia, videtur ex decreto **3597**, ad 7, quo edicitur faciendam esse commemorationem Ss. Ap. Petri et Pauli in Off. vot. Ss. Apostolorum, in quo utique et ipsi comprehenduntur. Quae dispositio contraria omnino videtur dispositioni decretorum **4043**, ad II, et **4006**, ad VII, supra relatae pro S. Michaele, et decreti **3929**, ad 2, pro S. Familia. Difficile admodum est has duas dispositiones conciliare, nisi dicere velimus, per decretum **4043**, II, derogatum esse decreto **3597**, ad 7, quod verum non est: vel Ss. Apostolis Petro et Paulo aliquid speciale tributum esse pro tota Ecclesia, sicut specialissimum pro clero Romano datum est, decreto **3581**, III. Quidquid sit de hoc, certum est, quod ex dispositione V decreti **4043** fieri deberet commemoratio S. Michaelis Arch. in Ecclesia suo nomine dicata, cum non sufficiat cum aliis Sanctis non Titularibus communis; et tamen hoc in ipso decreto, II, edicitur non faciendam esse in officio votivo Ss. Angelorum. Neque dici potest, secundo loco agi de commemoratione S. Michaelis Arch. absque peculiari titulo, cum talis commemoratio numquam locum habere potest, nisi ratione Tituli vel saltem Patroni, ubi viget consuetudo; et tamen, hoc sub respectu, idem edicitur in decreto **4006**, ad VII.

Neque item valet, quod in officio vot. Ss. Angelorum S. Michael recolatur primo, et cum ipso omnes Angeli; sicut in festo Dedicationis eiusdem, ex qua desumpta est Oratio; nam ex toto officio, sicut et ex titulo, manifeste apparet

omnes Ss. Angelos pariter et una simul esse obiectum officii. Hinc revera S. Michael recolitur una simul cum omnibus Ss. Angelis, seu sociis eius, ac ideo ex dispositione V eiusdem decreti, ubi est Titulus specialis fieri oporteret commemorationem. Sed quoniam Oratio S. Michaelis eadem est, quae in officio votivo Ss. Angelorum dicta est, hinc S. R. C. maluit illius commemorationem omittendam decernere, quam aliam Orationem condere. Stat igitur generalis dispositio decreti **4043**, V. et peculiaris pro S. Michaele; quae ad alios casus extendenda non est.

VIII. *E Nerito* (Nardò). **De Laude** *Dio sia benedetto* **post solemnem Missam in choro.** Potest ne laus *Dio sia benedetto, etc.*, dici post Missam solemnem, vel conventualem una cum choro, antequam iste incipiat *Sextam*, et flexis ne r citari debet genibus an stando?

Resp. Quamvis commendata sit recitatio dictae laudis post Missam et tum maiori Indulgentia ditata, attamen praescripta non est, neque post Missas lectas, talis recitatio. Requiritur igitur mandatum Episcopi, ut praeceptiva evadat. Commendata tamen est a S. Sede, ideoque absque dubio quisque Sacerdos eam recitare poterit post Missam lectam. Sed idem ne dicendum post Missam solemnem? videtur quod non; nam Missa solemnis aliquid solemnitatis requirit in omnibus, nempe quae aliquo modo populum respiciunt, vel una cum populo seu choro aguntur: et quamvis dicta laus minime pars sit Missae, attamen ex hoc quod immediate post ipsam dicitur, eidem adnectitur: sicut et aspersio aquae benedictae ante Missam. Non videtur igitur decere quod recitatio huius laudis a ministris solemniter paratis peragatur non solemniter. Hinc preces, quae post Missam recitantur iussu Ss. Domini Leonis Pp. XIII, et quae pro universalis Ecclesiae causa peraguntur, adeoque videretur quod in solemnibus populi conventibus recitari deberent, hanc certe ob causam, nec praeceptae sunt, nec dicuntur post Missas solemnes vel quae solemnibus

respondent. Et generatim fere nullibi hoc fit: sed si aliquibus in locis adest consuetudo laudem illam recitandi in Missa parochiali et in frequentioribus populi conventibus; quando haec Missa parochialis fit in cantu cum ministris, tum laus recitatur ab aliquo e choro, precedendibus ministris.

Verum tamen est quod hic Romae in Patriarchali Basilica Vaticana, et adhuc in aliqua alia Ecclesia, mos inductus est, ut laus illa dicatur etiam post Missam solemnem; quamvis pluribus non arrideat.

Cum igitur nulla circa hoc habeatur regula certa, et non una sit Ecclesiarum consuetudo, prohibere ne quis potest, ut una vel altera amplectatur? Minime profecto. Quamvis igitur plene ritui solemni minime respondeat recitatio huius laudis, et quidem italico sermone, attamen utilis et fructuosa evadit, tum populo adstanti, tum defunctis.

Et quoniam statim post Missam dicitur, appendix quaedam evadit ipsius Missae.

Sed quomodo in casu solemnis Missae se gerent ministri? Utique stando convenit ut saltem ab ipsis dicatur: si enim et preces orationesque Missae ita dicuntur, quanto magis laus haec? Quod si post solemnem benedictionem vel repositionem SS. Sacramenti flexis genibus etiam a ministris dicitur, hoc ideo fit quia iam ita se habent; et generatim adhuc est supra altare, et nondum repositum in tabernaculo SS. Sacramentum; cum e contra nonnulli, statim ac reconditum est, surgunt et ita prosequuntur laudem.

Nullimode tamen convenire censemus eiusdem laudis recitationem, et quidem vulgari sermone, intra chorale officium, quamvis usus Basilicae Vaticanae habeat ut et ante *Sextam* recitetur. Severae nimis sunt liturgicae leges quoad chori directionem, quae additiones praesertim vulgari lingua non admittunt. Nec omnes, etsi Patriarchalium Basilicarum, consuetudines ubique sunt extendendae. Ad summum dici valeret a choralibus, non vero a celebrante post Missam conventualem

quae post Nonam celebratur, extra quadragesimam: tunc enim, officio chorali expleto, haberetur tamquam res omnino distincta.

IX. *Ex eodem loco.* **De duorum Patronorum commemoratione.** Ubi duo habentur Patroni loci, et de utroque facta semper est commemoratio, retineri ne debet haec praxis?

Resp. Commemoratio Patroni loci, dioecesis et regni tantum agi potest, si adest consuetudo, adeoque permissa, et uti ita dicam tolerata est; hinc videtur stricte interpretanda esse verba decreti, quod loquitur de Patrono in singulari, adeoque de uno non de pluribus; et absque dubio de Patrono principali; certum est enim, quod tantum de principali Patrono commemoratio permittitur. Quod si plures principales Patroni habeantur tantum de principaliori commemoratio peragenda est: ac ita espresse docebant decreta antiqua, praesertim de Titulo Ecclesiae; quanto magis de Patrono. Et quamvis haec decreta amplius non extent in nova Collectione, nihil tamen innovatum invenitur per decreta contraria; sufficiens reputavit S. R. C. quod circa hoc habetur in suo generali decreto **4043**. Attamen cum dicitur de uno tantum et principaliori faciendam esse commemorationem, hoc intelligitur de uno in suo genere, nempe dioecesis, regni seu loci; nam nil videtur obstare quominus et de Patrono loci, et de Patrono dioecesis commemoratio agatur, quamvis enim in decreto habeatur *loci vel dioecesis* non ad exclusionem alterius, sed ad distinctionem tantum positum est *vel.*

Hinc optime, ubi adest consuetudo, de unoquoque Patrono, loci nempe, regni, vel dioecesis commemoratio fieri potest; de pluribus autem eiusdem loci, dioecesis vel regni, etsi aeque principalibus, fieri non debet distincta commemoratio.

X. *Ex cod. loco* **De quibusdam consuetudinibus in benefactorum suffragiis.** Capitulum huius Cathedralis tenetur singulis feriis secundis ad Missam pro benefactoribus. Circa quod onus haec in praxi inducta sunt; nempe: *a*) Missa ca-

nitur post Primam, et, permittente ritu, de *Requie;* sed, si occurrit festum 2 cl; vel aliae Missae ex rubricis canendae sunt, et iisdem ex causis ad feriam tertiam remitti non potest, tum private, nempe lecta dicitur. *b*) Post Missam vero, quomodocumque dicta, Capitulum universum, praecedente cruce, circumit Ecclesiam canendo *Libera me, Domine*, etc. et canonicus unus pluviali indutus, sepulcra aspergit. Gyro expleto, actus concluditur cum *De profundis*, etc., et tribus orationibus, ut ad Laudes. Quid de istis consuetudinibus?

Resp. Nil observandum circa onus canendi Missam pro benefactoribus singulis secundis feriis, quae optime et post Primam dicitur de Requie, permittente ritu: si vero de festo canenda venit, tum ex decretis canenda est extra ordinem officii. Item optime amandandi in feriam tertiam si quando impedita fuerit vel ob solemnitatem, vel ob multitudinem onerum; cum enim anniversaria non sint, videntur affixa esse feriae secundae tantum ut quantocius impleatur onus, non taxative ex fundatorum voluntate; adeoque bene iustis de causis transferri potest ad feriam sequentem. Sed quare non in cantu? ratio adducta non satisfacit. Nonne, si et feria tertia impedita evadit amandari poterit ad feriam quartam? et videtur sic onus plenius impleri quam per Missam lectam tantummodo. Attamen cum nil fixum et determinatum habeatur circa hoc sive a benefactoribus sive a statutis capitularibus, et antiqua praxis ita se habeat, culpanda non est, dummodo ab Episcopo probata.

b) Circa modum vero peragendi aspersionem sepulcrorum, bene continuari potest praxis circumeundi Ecclesiam ab universo capitulo, sed quare hoc non fit dum *Pater noster* dicitur, post cantum *Libera me, Domine?* Conformior esset ritui praescripto in aspersione castri doloris. Item circuitione expleta, absolutio perfici debet ut in Rituali Romano habetur; vel in appendice ad *Agenda pro defunctis*. Et quamvis praxis, ut in casu, nihil habeat per se reprobandum, si private et

peculiariter perficiatur, uti functio quaedam ab omni actu liturgico distincta; attamen, cum in casu perficiatur post Missam et ab universo capitulo cum officiante parato et cruce praeeunte, induit formam absolutionis liturgicae post Missam; imo talis revera est, adeoque praescriptiones, quae circa eam sunt, servare oportet. Multo melius igitur esset si ritu praescripto peragatur; servata consuetudine circumeundi Ecclesiam, sepulcraque aspergendi.

Item notandum venit, quod, iuxta decreta **2186** et **3014** ad 1, fieri non debet statim post Missam de die; sed ab ea prorsus distincte et divise.

BREVIORA RESPONSA

I. *Pro Sicilia. Q.* Qualibet prima feria VI mensis, tempore Missae solennis, exponitur SS.mum Sacramentum; et Missa canitur votiva de eodem Ss.mo, iuxta decretum 2 Decem. 1864, quod habetur in 4° vol. XIII edit. Teologiae moralis Petri Scavini. Recte ne?

R. Decretum quod indicatur in nova Collectione decretorum S. R. C. non extat, sed neque in aliqua alia, quantum scimus, contentum invenitur. Inter causas vero Missas votivas permittentes SS.mi Sacramenti, in decreto generali, non modo haec, de qua in casu, non invenitur, sed explicite excluditur; ita enim se habet: " IV. 1.... immo.... vel qualibet tertia dominica mensis Missa coram SS.mo Sacramento cantari solita celebranda est de Dominica vel de festo duplici occurrente, cum commemoratione Sacramenti. " Eadem vero ratio currit pro qualibet alia die.

II. *Pro Parma. Q.* Prohibitum adhuc ne est candelas benedictas ad domus fidelium deferre, uti docet Fumagalli, in suo *Manuali Liturgico (L. I. cap. VI par. 2. n. 11)*, decreto

innixus Cong. Ep. et Reg. anni 1581? Ratio dubitandi est, quia in nova S. R. C. decretorum Collectione simile decretum prohibens amplius non invenitur.

R. Quidquid sit de S. C. Ep. et Reg. decreto citato, decretum expulsum e Collectione decretorum S. R. C. non prohibebat quominus per domus deferrentur candelae, sed declarabat, Parochum ad hoc non teneri; ita et decretum servatum in nova Collectione sub n. **385** ad 1, statuit servandam utique constitutionem synodalem quae est Rituali Romano conformis; ex quo habetur non inesse Parochis hanc obligationem, cum distributio inter praesentes fieri debeat, nempe in Missa. Ex hoc vero minime inferri debet, prohibitam esse talem distributionem per domus, maxime si private et absque ulla caeremonia peragatur. Qualis distributio potius delatio ministerialis est quam liturgica distributio.

III. *Pro Brixia. Q.* Potestne in vino, quod pro Missae sacrificio conficitur, infundi tanta quantitas spiritus vini, quanta opus est ad eius conservationem?

R. Affirmative, iuxta decretum S. Rom. et Univ. Inquisitionis diei 30 Iulii 1890; dummodo alcool ex vino vere sit expressum, quantitas non excedat 12 %, et mixtura fiat in novi vini formatione.

IV. *Pro Nerito. Q. a*). Consuetudo sustineri ne valet peragendi inter suffragia commemorationem S. Patroni dioecesis, cum antiphona propria et ℣. *Ora pro nobis, beate Pater Gregori:* non obstante decreto **4043**? Et in casu negativo, potest ne decantari extra officium in Ecclesiis? *b*) Item pro commemoratione S. Ianuarii, quae ex antiqua consuetudine peragitur inter suffragia, potest ne retineri ant. propria et ℣. quae habentur inter officia propria neapolitana, sicut hucusque factum est?

R. a) Decretum **4043** non prohibet commemorationem Patroni dioecesis vel regni, sed tantum decernit, quod *ex rubricarum* non est facienda; sed potest fieri ubi adest consuetudo.

Cum igitur in casu talis consuetudo asseratur, utique sustineri valet.

Quoad vero antiphonam et ℣., utique sumi possunt ex officio proprio, imo et debent; nam e communi sumendae non sunt partes officii, nisi deficientibus propriis; et commemoratio est utique pars officii: quoad ℣. vero, post decretum in una Ordinis S. Benedicti, nulli dubium.

b) Idem omnino dicendum pro hoc secundo casu: absque enim dubio dictum supplementum approbatum est pro universo clero neapolitano.

V. *Pro eod. loco. Q.* Quaenam regula sequenda pro commemoratione Tituli et Patroni inter suffragia, si ex uno eodemque communi sumenda sunt, et deficientibus regulis assignatis in decreto **4042** ad V?

R. Valde difficilis videtur, imo omnino hypotheticus casus. Decretum namque quatuor assignat commemorationes una cum ea, quae de officio est; quinque igitur, vel sex occurrere oportet ut casus detur.

Sed si occurrit quid faciendum? Difficultas maxime versatur circa ℣; nam Orationes fere omnes propriae sunt, et antiphonae e nocturnis erui possunt, sed ℣. desunt. Putamus igitur tunc per ℣. communem *Ora pro nobis etc.* supplendum, donec a S. R. Coñgne peculiare responsum habeatur in casu.

VI. *Pro eod loco. Q.* Capitulum habens onus eadem in die plurium Missarum pro defunctis, potestne eas omnes canere post Primam?

R. Cum rubrica permittat canere infra officium Missam pro defunctis, etsi non sit ex praescripto rubricarum, sed ex fundatione vel legato, non videtur per se prohibitum; ex quo enim interrupta aliquo modo est recitatio officii, per cantum huius Missae; vel melius, ex quo permissum est, ut infra officium canatur, una sit vel plures non interest. Neque ad has applicari potest decretum **3921**, quod tantum respicit Missas vivorum, nempe de Sanctis vel mysteriis.

VII. *Pro eod. loco. Q.* Decretum **3921**, loquitur tantum de Missis cantatis; extendendum ne est etiam ad Missas lectas, sed voce elata, choro respondente?

R. Revera neque in rubricis, neque in decretis ulla unquam mentio apparet huius generis Missarum: duarum tantum rubrica meminit, nempe Missae in cantu seu solemnis, et Missae lectae, seu privatae; in hac utique sunt quae *clara* voce proferri debent, sed manet rubrica, ne *voce nimis elata* proferantur. Abusus ergo eliminandus est de quo in casu: adeoque quin plures non permittantur, sed nec una unquam.

VIII. *Pro eod. loco. Q.* Tolerari ne potest consuetudo in novendiali ad festum Natalis Domini, ut exponatur solemniter SS. Sacramentum, et coram Eo Missa canatur, ac postea deponatur? Et quae Missa canenda?

R. Dummodo consensus Episcopi accedat, qui requiritur semper, saltem subintellectus, pro expositione SS.mi Sacramenti, et omnia rite perficiantur, nulla lex vetat; imo haec praxis, additis precibus pro novendiali post Missam, in pluribus observantioribus Ecclesiis agitur. Notandum tamen, quod ante repositionem semper benedictio impertienda est.

Missa vero, nisi indultum habeatur, utique de festo occurrente esse debet, et nisi semiduplex occurrat aut simplex vel feria; quia hoc in casu votiva de SS.mo Sacramento cani potest. In Missa de die vero commemoratio Sacramenti fieri debet.

IX. *Pro Diocesi N. Q.* An in festis Patrocinii B. M. V., et Praesentationis Eiusdem, translatis tempore Adventus, dicenda sit Missa *Salve, Sancta Parens.* cum ℣. *Ave, Maria,* ex vot. temp. Adv: Decr. **2587**, ad 6. an potius Missa *Rorate,* retento Evang. *Loquente Iesu,* iuxta Decr. in *Romana,* 3 Sept. 1900.

R. Decretum in Romana 3 Sept. 1900. cum respiciat festum peculiare minime extendi potest ad alia, praesertim si pro istis alia specialia decreta extent: adeoque omnino standum.

pro Patrocinio, decreto **2587** ad 6. Idem omnino dicendum, pro festo Praesentationis, cum similis omnino sit casus, eaedemque militent rationes. Et revera pro casu in decreto 3 Sept. 1900 ratio specialis aderat mutandi Missam, quia alioquin multa mutanda et addenda erant in Missa statuta, ut tempori Paschali aptaretur; congruum igitur erat ipsam Missam mutare, retento tamen Evangelio, propter Homiliam legendam in officio.

X. *Pro eod. loco. Q.* An certum sit, quod, post decretum in una Ord. S. Benedicti, datum die 14 Iunii 1901, ad 6, non sit amplius prohibita in officio, sive pro commemoratione, sive pro suffragiis, repetitio ℣. *Ora pro nobis,* dummodo subiectum sit aliud?

R. Decretum in casu utique peculiare est, et casum peculiarem respicit; attamen non videtur habere quid ita peculiare, ut ad alios extendi non debeat. Verum quidem est, in officio proprio S. Elisabeth hunc ℣. haberi, adeoque dici potest quod sit proprium; attamen hoc non efficit quod non repetatur; et de hoc precise erat quaestio, quae alias (Decret. **1918** ad 1) hanc ob rationem soluta fuit e converso, quamvis et tum ℣. proprii essent. S. igitur Congregatio aliter statuens hoc novo suo decreto, quin principium et rubricam de non repetendo eodem ℣. infirmaverit, videtur utique sensisse, quod dictum principium et rubrica applicari non debent ad dictum ℣. *Ora pro nobis.*. Et optime, nam hic ℣. non est sententia quaedam, sed invocatio; quae, ex hoc quod ad alium dirigatur, alia efficitur. Hinc in litaniis semper dicimus *Ora pro nobis* mutando vel obiectum vel titulum (V. *Ephem. Lit.* huius anni, *pag. 519, III, 2*).

XI. *Pro eod. loco. Q.* Licet ne anniversarium, sine liturgica causa translatum, celebrare ritu duplici; hoc est, duplicando antiphonas et cum unica Oratione in Missa?

R. Iuxta decretum **1040,** tuta conscientia transferri non licet anniversarium, nisi legitime, seu ob liturgicum impedi-

mentum, impeditum; et tum reponendum iuxta decretum **3753,** ad 2, et abusus est non ferendus illud amandare ob commoditatem propriam. Quod si causa liturgica impediens extat, tum utique celebrari debet ritu duplici; non enim ex hoc suas praerogativas amittit. Quod si iusta adest causa, sed haec non est aliqua a rubricis seu decretis indicata tum etsi licite transfertur, non gaudet tamen amplius praerogativis adnexis; adeoque in die libera celebrandum venit, et ritu semiduplici.

XII. *Pro cod. loco. Q.* Potest ne reliquia S. Crucis solemniter exponi in altari in quo reconditum manet SS.mum Sacramentum, in cornu Evangelii inter candelabra, uti aliae reliquiae Sanctorum exponuntur?

R. Certum est, ex decreto **2740** ad 1, quod neque reliquia S. Crucis exponi potest super tabernaculo in quo reconditum est SS.mum Sacramentum; attamen bene potest exponi in medio eiusdem altaris, quin tabernaculo superimponatur. Nihil vero obstat quominus et in cornu Evangelii exponatur, inter candelabra, eminentiori loco, apte disposito, ita ut non existimetur ad ornamentum altaris posita.

QUAESTIUNCULA

Anno 1902 occurrit festum S. Thomae Ap. in Dominica IV Adventus. Cum autem sanctus Apostolus sit Protector principalis missionis de *Mangalore* agitur eius festum sub ritu duplici 1. classis, in ipsa sua die, cum commemoratione Dominicae. Sabbatum vero praedecens est dies libera et cum nequeant recitari amplius officia votiva, ratione temporis vetiti, agendum est de ipso Sabbato; quaeritur ergo, undenam accipiendae erunt antiphonae ad Laudes in officio feriali Sabbati?

Solutio.

Ut intelligatur quaestio, necesse est ut hic referatur Rubrica specialis Breviarii, post Dominicam III Adventus posita, circa antiphonas feriales ad Laudes a die 17 Decembris et deinceps: " *Sequentes Antiphonae ad Laudes et per Horas dicuntur in sex feriis ante Vigiliam Nativitatis, incipiendo die 17 Decembris ab Antiphonis, quae feriae illus diei assignantur.... quae autem dicendae essent die, in quo occurrit festum S. Thomae, dicuntur in Sabbato etc.*

Ratio huius Rubricae est, quia in calendario universali, omnino vacui sunt septem dies, qui occurrunt a 17 ad 24 Decembris; excepta die 21, in qua celebratur festum s. Thomae Apostoli. Quamobrem, cum illis diebus recitandum sit officium feriale, ponuntur in Breviario Antiphonae propriae pro una-

quaque feria, ad Laudes, excepto Sabbato, quia, pro Sabbato sumuntur Antiphonae illae, quae omittendae sunt in feria, in qua occurrit s. Thomas. Et merito, cum enim die 21 celebretur officium huius Apostoli, vacant, ut patet, Antiphonae feriales, quae proinde reassumuntur in Sabbato, sicque quotannis hae feriales Antiphonae Laudum omnes recitarentur, nisi haberentur festa localia iis in feriis occurrentia.

Exemplum illustrabit Rubricam in sequenti tabella:

Dies	Litt. Dom. A	Litt. Dom. G	Litt. Dom. F	Litt. Dom. E	Litt. Dom. D	Litt. Dom. C	Litt. Dom. B
17	Do 1	Fer. 2	Fer. 3	Fer. 4	Fer. 5	Fer. 6	Sab. Ant. de fer. 4
18	Fer. 2	Fer. 3	Fer. 4	Fer. 5	Fer. 6	Sab. Ant. de fer. 3	Dom. IV
19	Fer. 3	Fer. 4	Fer. 5	Fer. 6	Sab. Ant de fer. 2	Dom. IV	Fer. 2
20	Fer. 4	Fer. 5	Fer. 6	Sab. Ant. de fer. 2	Dom. IV	Fer. 2	Fer. 3
21	S.Thomas	S.Thomas	S.Thomas	Dom. IV	S.Thomas	S.Thomas	S.Thomas
22	Fer. 6	Sab. Ant. de fer. 6	Dom. IV	S.Thomas transl.	Fer. 3	Fer. 4	Fer. 5
23	Sab. Ant. de Dom. IV	Dom. IV	Fer. 2	Fer. 3	Fer. 4	Fer. 5	Fer. 6

Ut facile cuique apparet, in hac tabella, Rubrica citata plane omnes casus praevidet; et huiusmodi Antiphonae feriales de Laudibus quotannis dicuntur, quia in Sabbato, quaecumque sit Littera dominicalis, excepta *A*, si agitur officium feriale, Antihonae ad Laudes sumuntur ab illa feria, in qua fit officium S. Thomae Ap.

Nihilominus casum non praevidit Rubrica, nec praevidere poterat utpote peculiaris alicuius loci, in quo S. Thomas, uti Titulus Ecclesiae, vel loci Patronus, celebratur in Dominica, quando littera dominicalis est *E*, uti accidit proximo anno 1902.

Et reapse in superiori tabella, vidimus (columna *E*) die 21 fieri de Dominica, et officium S. Thomae agi in sequenti feria 2, ac proinde in Sabbato praecedenti, die 20, agi de Sabbato, cum Antiphonis de Laudibus feriae 2; nam istae eo anno vacant, ut patet, cum in ipsa feria 2 non officium feriale celebretur, sed translatum S. Thomae.

Ubi vero S. Thomas agitur sub ritu dupl. 1. classis, ac proinde celebratur in Dominica, nullae Antiphonae feriales de Laudibus vacuae relinquuntur; undenam ergo in Sabbato sumendae erunt Antiphonae ad Laudes? En quaestio nostra.

Miramur, quod doctores liturgici, etiam maioris notae, hanc quaestionem sibi non proposuerint; unus A Carpo (*Bibliot. Liturg., pag. 594*) docet: " *Ubi festum S. Thomae colitur ritu duplicis 1 clas., quoniam ibi non transfertur, ibidem sunt hodie* (20 Decemb.) *recitandae Antiphonae Dominicae quartae.* „ Clarus autem Rubricista nullam affert rationem huiusce suae sententiae.

Nos subscribimus eius doctrinae, et proculdubio, propositae quaestioni respondemus, in casu, in Sabbato legendas esse Antiphonas de Laudibus Dominicae quartae Adventus, sequentibus ducti rationibus.

1. Quia sic, et in casu nostro, satisfit Rubricae speciali Breviarii; dicit enim " *quae* (*Antiphonae*) *dicendae essent die in quo occurrit Festum S. Thomae, dicuntur in Sabbato;* „ atqui ubi S. Thomas est Titulus, seu Patronus, si festum eius cadit in Dominica, huius Dominicae Antiphonae, *quae dicendae essent,* reapse non dicuntur; ergo in casu Antiphonae ad Laudes Sabbati sumendae erunt a Dominica.

2. Quia ex ipsa Rubrica citata eruitur, Ecclesiam malle omissionem Antiphonarum feriae, quam Dominicae; dicit enim: " *Nisi Vigilia Nativitatis venerit in Dominica; tunc enim in Sabbato dicuntur Antiphonae de Laudibus Dominicae, etc.* „ Sicut apparet a nostra tabella, quando Littera dominicalis est *A*, S. Thomas cadit in feria 5, cuius Anti-

phonae ad Laudes proinde vacant. In Sabbato itaque dicendae essent Antiphonae de Laudibus feriae V; cum vero in hoc casu Vigilia occurrat in Dominica; et cum in Laudibus dicendae sint Antiphonae ipsius Vigiliae, relictis illis de Dominica, Rubrica aperte decernit tunc in Sabbato non reassumendas esse Antiphonas feriae V, bene vero anticipandas illas de Dominica IV.

Quod si Rubrica mavult omissionem Antiphonarum ferialium, in casu, quam dominicalium; quanto magis, in casu nostro, sumendae sunt Antiphonae de Dominica cum ferialium nullae praetermittantur?

3. Quia, in casu nostro, nisi dicerentur Antiphonae de Dominica, repetendae forent Antiphonae alicuius feriae praecedentis; multo ergo melius, ut nihil repetatur, est quod dicantur in casu Antiphonae dominicales, quae vacant.

Hinc, si alicubi, in uno ex diebus, qui occurrunt a 17 usque ad 24 Decembris, fieret de aliquo festo, saltem translato, vacaret officium feriae, ideoque et Antiphonae feriales de Laudibus; et in hoc casu omissis Antiphonis ferialibus dicendae forent illae de Dominica.

Ergo, absque haesitatione ulla, ad quaesitum respondemus: In missione de *Mangalore*, ubi S. Thomas est Patronus principalis, cum anno proximo 1902 occurrat in Dominica IV, Sabbato praecedenti dicendae erunt Antiphonae de Laudibus ipsius Dominicae, omissis *alleluia*, et quarta praetermissa, cuius loco dicetur *Expectetur*, quae est propria de Sabbato, prout notatur in Breviario.

CONSULTATIO CANONICO-LITURGICA

Num hodie omnes Parochi benedicere possint aquam baptismalem in Sabbatis Paschatis et Pentecostes, iuxta S.R.C. decretum diei 13 Ianuarii 1899?

Solutio.

Decretis S. R. Cong. inspectis, nec non Rubrica speciali Missalis Romani, prima fronte, ad affirmativam solutionem huius quaestionis deveniendum esse videretur, pro iis saltem Ecclesiis, quae fontem baptismalem possident.

Et revera: 1° Sacra Rituum Congregatio suo decreto d. d. 13 Ianuarii 1899, n. **4005,** explicite edixit, aquam baptismalem benedicendam esse Sabbato Sancto et Vigilia Pentecostes, non tantum in Ecclesiis parochialibus, sed etiam in filialibus, quae sacrum fontem legitime habent. Praeterea, 2° eadem S. Rit. Cong. alio decreto, diei nempe 7 Iunii 1892, n. **3776,** non tolerandam esse censuit consuetudinem, dioecesis Spalatensis, benedicendi fontes baptismales in Cathedrali et nonnullis praecipuis parochialibus tantum. 3° demum, Rubrica specialis Missalis Romani, quae invenitur in Sabbato Sancto, post omnes Prophetias illius diei, decernit: " *His expletis si Ecclesia habuerit fontem baptismalem, Sacerdos benedicturus fontem accipit pluviale, etc.* „ Et post ritum benedictionis legitur: " *Ubi vero non est fons baptismalis, finita ultima Prophetia cum sua oratione, Celebrans casulam deponit, etc.* „ Ergo Parochi, qui in sua Ecclesia habent baptisterium, aquam baptismalem benedicere debent; et tantum qui eo carent, benedicere non possunt, ut patet.

Sed contra habetur quod decrevit S. Congregatio Concilii die 8 Martii 1732, in *Aquen.* (Vide Collect. Pallottini, *vol. 3, § 3*), nempe: " *Quando constat de maioritate Ecclesiae, haec ius privativum peragendi functionem fontis baptismalis in Sabbato Sancto et Sabbato Pentecostes, dubio procul nanciscitur, et Parochi aliarum Ecclesiarum loci tenentur eidem interesse; ita ut, si non intersint, cogi possint poenis arbitrio Episcopi.* „

Unde respondendum est potius, non omnes Parochos fontis benedictionem statutis temporibus peragere posse, sed ii tantum, quibus ius seu legitima consuetudo suffragatur.

Antiquus mos in Italiae, Hispaniae, Galliarum et Germaniae provinciis fuit, ut benedictio fontis baptismalis fieret tantum in Ecclesiis episcopalibus et maioribus, quae *matrices*, vel *plebanae*, vel *decanae* dicebantur.

Imo antiquitus, nullibi detinebantur baptisteria, nisi in illis nobilioribus Ecclesiis; atque in civitatibus, unicum baptisterium habebatur in sola Cathedrali, quod adhuc Florentiae, Pisis, Bononiae, Parmae, Cremonae, etc., observatur. Cuius antiquae legis invenitur mentio in epistola Zachariae Papae ad Pipinum (*cap. 15*) et in Bulla, quam Honorius III, anno 1217, misit ad S. Fulcum, a placentina ad papiensem Ecclesiam tunc assumptum, ubi legitur: " *Praeter matricem Ecclesiam baptisterium generalem fieri penitus prohibemus.* „

Ducange, in suo Glossario, habet, quod vox *Plebes* indicat aliquando Ecclesias omnes parochiales, aliquando vero Ecclesias tantum *baptismales;* idque eruit ex Synodo Pontigonensi, anno 876 celebrato, ubi (*cap. 11*) legitur: " *Ecclesiae baptismales, quas plebes appellant.* „ Item ad vocem *Ecclesia* dicit: " *Ecclesiae baptismales, ubi baptismus celebratur, uti est apud Attonem ep. in Capitul, c. 20; Valfridus Strabo lib. de reb. eccl. c. 30: Presbyteri plebium, qui baptismales Ecclesias tenent et minoribus Presbyteris praesunt.* „ Insuper

ait id passim occurrere in Concilio Varnensi, an. 755, Meldensi 845 (*c.* 48), Ravennensi, sub Ioanne VIII, et in aliis locis.

Progressu vero temporis, ne pueri decederent absque Baptismo, factum est, ut baptisteria ipsa *in multis urbium partibus, ac potissimum in agris e civitate disiunctis pro commoditate populi collocarentur* (Benedictus XIV, *Instit. 1*). Hinc est quod ubique, per agros, omnes Ecclesiae parochiales fontem baptismalem habuerunt.

Sed non ideo et ius benedicendi aquam baptismalem illis concessum est, in Vigiliis Paschatis et Pentecostes; rectores enim harum minorum Ecclesiarum ad matricem Ecclesiam convenire debebant, illis in Vigiliis, ut benedictioni fontis ab Archipresbytero, vel Plebano, vel Decano peragendae adsisterent. Hoc probatur ex monumentis multiplicibus, a saeculo XI ad XVI. Sit pro omnibus decretum, quod legitur in *Actis Ecclesiae mediolanensis* (P. IV, pag. 556, Edit. 1843): " *His duobus Sabbatis* (Paschatis et Pentecostes) *quibus, ex veteri instituto* (vetus dicebatur hoc institutum iam saeculo XVI), *fontis baptismalis benedictionem agi celebrarique solemne est, ipse* (Parochus) *cum clericis parochiae suae quotannis, si in urbe est, ad Basilicam metropolitanam, si in dioecesi, ad Ecclesiam Plebanam, tempestive conveniet, vasculum proprium atque usui huic tantummodo addictum, idemque nitidum afferet, quo aquam baptismalem inde in Ecclesiam suam reportet. „*

Hanc S. Caroli dispositionem secuti sunt Episcopi omnes, qui post Concilium Tridentinum Synodos dioecesanas celebravere; ex. gr. in Bononiensi Synodo, a Card. Boncompagno coacto, anno 1654, haec praescribuntur: " *Parochi civitatis et suburbiorum intersint benedictioni et renovationi Fontis Baptismalis faciendae in hac nostra Metropolitana: alii vero Parochi dioecesani in plebaniis, quibus subduntur, praedictae intersint functioni, sub poena duorum solidorum.* „ Quam dispositionem suam fecit Card. Lambertinius in citata Institutione

prima. Item in Concilio provinciali Urbinatensi a metropolitano Angeloni habito, anno 1859 (*Collectio Lacensis, VI, p. 11*), habetur: " *Consuetudo solemniter benedicendi fontem, non solum in Ecclesiis cathedralibus, sed etiam in plebanis, servetur in provincia nostra.* „ Similiter in Synodo Placentina ab Episcopo Ioanne Scalabrini, primo habita, anno 1879, explicite praeceptum est (pag. 52): " *Innovamus decretum statuens, quod Rectores Sabbato sancto, et Sabbato Pentecostes in Ecclesiam archipresbyterialem conveniant, cui subditi sunt, ut assistant fontis baptismalis benedictioni.*

Istae Conciliorum citationes, quas facillime multiplicare possemus, clarissime nos edocent, communem fuisse et esse consuetudinem benedicendi fontem baptismatis tantummodo in cathedralibus et plebanis Ecclesiis, non vero in parochialibus, licet in his habeatur baptisterium.

Quae consuetudo particularium Ecclesiarum pluries adprobata, recognita et acceptata fuit a S. Congregatione Concilii, ut videre est apud Pallottini (*loco citato, n. 113, In Ariminen., 10 Ian. 1711; — n. 119, in Lemen. 23 Iulii 1718; n. 231, in Derthonen., 7 Dec. 1720; — n. 125, in Aquen. 8 Mart. 1732; — et n. 134, in Florentina, 18 Martii 1797*). Haec ultima decisio sic se habet: " Quum... constet de iure privativo Ecclesiae archipresbyteralis habendi fontem baptismalem, nec non adsit consuetudo favore Archipresbyteri peragendi benedictionem fontis, cum assistentia aliorum Parochorum loci, compertum est ad eumdem pertinere ius peragendi huiuscemodi functionem, cum assistentia praedictorum Parochorum. „

Idem clarius edicitur in duobus aliis S. Congr. Concilii decretis, a Cavalerio citatis (*Tom. 4, c. 22, dec. 6*), nempe diei 17 Novembris 1691, in *Savonen.*: " Parochi Ecclesiarum filialium, tenentur accedere ad benedictionem fontis ad Matricem; „ et diei 28 Iulii 1731: " Parochi Ecclesiarum filialium, vel inferiorum cogi possunt ad interessendum in Matrice,

vel Quasi-matrice benedictioni fontis die Sabbati Sancti et Pentecostes. „

Sed et S. Episcoporum et Regularium Congregatio, ad rem, suam expressit mentem, decreto 6 Septembris 1625, ab eodem Cavalerio citato, (*ib. decr. X*): " Curatus regularis debet, iuxta solitum, ad assistendum in Matrice benedictioni fontis accedere indeque aquam accipere, proiecta in sacrarium ea, quam ipse contra solitum benedixerat. „ In quo aperte praecipitur, suffraganeo Parocho, non tantum adsistentia benedictioni fontis, sed et receptio aquae benedictae, pro usu propriae Ecclesiae, uti, iam vidimus, S. Carolus praescripsit.

Huiusmodi autem consuetudo seu disciplina, etiam a S. R. C. pluries confirmata et adprobata fuit. Et sane, in *Lucana*, die 12 Aprilis 1755 (**2436**-4252), haec decrevit: " Ad 1. Parochos habentes facultatem benedicendi fontem baptismalem, Sabbatis diebus Paschatis et Pentecostes dumtaxat, et non aliis diebus, illum de mane benedicere debere; qui vero hanc facultatem non habent, ab eius benedictione se abstinere teneri. „

" Ad 2. Parochis licere alium Sacerdotem delegare, qui benedictioni fontis baptismalis in Ecclesia Matrice pro iis assistat, vel etiam die Sabbati Sancti alteri Sacerdoti Missae celebrationem committere. „

" Ad 3. Parochi ex Matricis fonte aquam, cui sacra olea iam fuerint commixta, suscipere debent, quam adhibeant in baptismi collatione. „

Ex quo decreto haec corollaria clarissime profluunt: *a*) Si ad 1. S. R. C. distinguit Parochos in habentes facultatem benedicendi fontem, et in non habentes similem facultatem, ergo non omnes Parochi possunt huiusmodi benedictionem peragere. *b*) Si ad 2. S. R. C. ius recognoscit in Parochis delegandi alium Sacerdotem, *qui benedictioni fontis in Ecclesia matrice assistat*, eos non eximit ab onere accedendi ad Matricem, ut assistant Archipresbytero suo. *c*) Si ad 3. S. R. C.

decernit. ut Parochi suffraganei accipiant ab Ecclesia matrice *aquam cui sacrc olea iam fuerint commixta, quam adhibeant in baptismi collatione,* ergo implicite recognovit, quod Parochi, licet habeant baptisterium in suis Ecclesiis, non tamen ius habent illius aquam benedicendi, nisi ipsi fuerint Plebani.

Cum vero eadem S. R. C. hoc magni ponderis decretum, non tantum confirmaverit in aliis decretis, diei 7 Decembris 1844, n. **2878**, et 13 Aprilis 1874, n. **3331**, sed illud in nova editione anni 1900, non expunxerit, dicendum est, antiquam disciplinam circa benedictionem fontis in matricibus tantum Ecclesiis faciendam, non immutare, sed plane confirmare voluisse.

Itaque concludendum est, non omnes Parochos, licet baptisterium habeant, fontem benedicere posse. [1]

Ad primam ergo difficultatem, ab initio expositam, dicendum, Decretum S. R. Congregationis, diei 13 Ianuarii 1899, in *Utinen.* n. **4005**, intelligi debere cum mica salis. Et revera, dubium I ita expressum erat: " Utrum aqua baptismalis Sabbato Sancto et Vigilia Pentecostes benedicenda sit in Ecclesiis tantum parochialibus, an etiam in filialibus, quae sacrum fontem *legitime* habent? „ Et ad illud respondit: " Ne-

[1] Haec conclusio, si aliquo additamento perficiatur, nempe: etiam post decretum **4005** ad 1 et 2, non omnes parochi ius habent fontem baptismalem in suis Ecclesiis benedicendi temporibus statutis, sed tantum qui *onus non* habent adeundi *matricem* vel *plebanam* Ecclesiam; potius quam quae in fine huius consultationis ponitur, recte promanare videtur ex supra disputatis a clarissimo D.no Piacenza. Et revera, qui ius habet per se ad fontem, natura sua et ius illum conficiendi habet; fons autem conficitur benedictione. Attamen ius aliquis habere potest vel innatum et plenum, vel adquisitum et participatum.

Qui primo modo habet, certum est quod illud habet cum omnibus quae iuri illi insunt; adeoque qui fontem possidet iure suo, et ius illum conficiendi habet. Item qui, etsi ex participatione, sed plene accepit et absque restrictione ulla, utique tanquam si natura sua haberet illud possidet, et omnia quae circa illud sunt exercere potest.

Ast si ex participatione et cum limitatione accepit, limitibus constringitur. Certum est autem ex supra disputatis, potestatem possidendi fontem baptismalem parochis Ecclesiarum minorum concessam esse processu temporis, sicut et omnes alias eorum potestates; hinc non iure suo nativo, sed participato habent. Attamen sicut et multae aliae facultates, quae processu temporis ita eis adhaeserunt, ut quodammodo iure

gative ad primam partem; affirmative ad secundam partem, iuxta Rubricas et decreta. „ Ergo si Ecclesiae parochiales Utinenses, vel etiam filiales, *legitime* habent ius fontis, seu, ut inferius explicabimus, ius fontem benedicendi, bene poterit in illis haec benedictio peragi, nunquam vero si huiusmodi ius *legitime* non habent. Quod eo magis patescit, quia S. R. C. in sua responsione se refert ad *Rubricas et decreta:* et nos iam vidimus quid dicant huiusmodi decreta; ergo noluit tam antiquam et venerabilem disciplinam in hac re mutare, alioquin decreta sua vetera non citasset, atque voluntatem mutandi disciplinam clare expressisset.

Fatemur tamen, nos non satis intelligere, quomodo in dioecesi Utinensi, pro qua editum est hoc decretum n. **4005**, possint inveniri Ecclesiae *filiales*, ius fontis habentes. Si ubique quamplurimae Ecclesiae, vere parochiales, hoc iure carent, et subduntur matricibus seu plebanis Ecclesiis, quanto magis filiales?

In hac quaestione, quam exposuit R.mus Aegyptianus Pagnetti Pro-vicarius Generalis Utinensis, putamus illustrem hunc virum confundisse ius habendi *baptisterium* seu *fontem*, cum iure *benedicendi fontem* ipsum, de quo infra.

proprio nunc possideant, utique sub potestate praesulum, sed vere eis inhaerent, ita et haec: quapropter parochus ius habet baptizandi, adeoque et fontem baptismalem possidendi. Quod si iure suo fontem possidet, et potestatem illum benedicendi.

Hoc tamen non obstante, quoniam, etsi *nunc* iure suo possident fontem, hoc ius acquisitum est, et ex participatione, utique fieri potuit quod aliquibus cum limitatione concessum sit, adeoque limitibus constringatur, quibus standum est. Unus autem ex eis, et ex quo maxime patescit haec iuris derivatio, est carentia potestatis fontem conficiendi. Cum vero haec limitatio sit odiosa, et odia sint restringenda: imo cum sit contra plenam et universalem potestatem quam parochi habent baptizandi, hinc est quod limitatio probanda est, cum ius praesumatur inesse, ex quo inest potestas baptizandi.

Hac ratione diximus, conclusionem induere debere hanc formam, nempe: non omnes potestatem habent fontem baptismalem benedicendi, sed qui onus *non* habent adeundi etc. Ita enim et rubrica nulla indiget explicatione. Rubrica enim indicat quid faciendum, ni quid obstet. Ita et decretum **3776** optime se exprimit, ius recognoscens in omnibus fontem habentibus, nisi aliter probetur; et ipsum decretum **4005**, simpliciter ius tribuens omnibus habentibus fontem, iuxta petita, et ad decreta amandans.

Ad secundam difficultatem reponendum, quod aliud S. R. C. decretum in *Spalaten.* diei 7 Iunii 1892, n. **3776,** nihil contra nos facit, imo nostram thesim perbelle confirmat. In petitione enim sic legitur: " In dioecesi Spalatensi antiqua viget consuetudo in Sabbato Sancto et in Vigilia Pentecostes fontem baptismalem benedicendi tantum in cathedrali, concathedrali, collegiata et nonnullis praecipuis parochialibus Ecclesiis; pro usu vero fontium baptismalium reliquarum Ecclesiarum parochialium defertur aqua benedicta ex memoratis Ecclesiis. „ Et quaerebatur: " An ista consuetudo ulterius toleranda sit? „ Atque S. R. C. respondit: " Negative; exceptis si adsint specialibus et determinatis iuribus circa Ecclesias matrices. „ Ergo, ubi adsunt huiusmodi iura (et adsunt profecto quasi ubique locorum) Parochi suffraganei adhuc accedere debent ad Ecclesias matrices.

Ad tertiam respondemus, Rubricam Missalis dicentem: " *Si Ecclesia habuerit fontem baptismalem, etc.* „ et etiam: " *Ubi vero non est fons baptismalis,etc..* „ accipiendam esse, non *contra,* sed *secundum* Ecclesiae disciplinam, tam antiquam, quam usque ad presentem diem vigentem circa fontis baptismalis benedictionem.

Quamquam nemo ex liturgicis scriptoribus, quos requisivimus, aliquid dicat, de modo quo intelligi debeat haec Rubrica, nihilominus nimia nos audacia moveri non putamus si eius genuinum sensum hic exprimere contendimus. Aliud enim est ius retinendi baptisterium in propria Ecclesia et baptizandi, aliud ius benedicendi aquam baptismalem.

Iam diximus morem fuisse, antiquitus, fontem retinendi in illis tantum Ecclesiis, ubi aqua benedicebatur, nempe in Ecclesiis episcopalibus et maioribus. Quum vero pro utilitate fidelium omnibus parochialibus Ecclesiis baptismi collatio concessa sit, ius etiam baptisterii detinendi necessario concessum fuit; nihilominus harum minorum Ecclesiarum rectores adhuc tenebantur, pro aquae benedictione, ad matricem accedere,

et aquam baptismalem inde accipere; *id enim obsequii*, ait Cavalerius (*loc. cit.*), *ab inferioribus Ecclesiis aequum est praestetur matrici, in qua olim dumtaxat aderat fons baptismalis, et certe exigit actionis gravitas.*

Aliis verbis, disciplina antiqua retinendi baptisterium in maioribus tantum Ecclesiis, immutata fuit, iam a saeculo XIII, ne pueri in periculum essent decedendi absque baptismo; disciplina vero benedicendi ipsum fontem, in matricibus tantum Ecclesiis, nullimode est immutata.

Cum autem Rubrica, de qua hic agimus, pervetusta sit, invenitur enim in Missalibus ante correctionem S. Pii V, neque ullam passa sit variationem, ita enim adhuc legitur: *Si Ecclesia habuerit fontem...* ideoque intelligenda est quasi diceret: *Si ecclesia habuerit ius benedicendi fontem, etc.*

Hoc evincitur 1° ex praxi universali, 2° ex citatis Conciliorum particularium legibus, 3° e Sacrarum Congregationum decretis; sed 4° explicite, et luce meridiana clarius, ex S. R. C. decreto n. **2436,** supra relato, in quo legimus: *Parochos habentes facultatem benedicendi fontem baptismalem, etc.:* et inferius: *qui vero hanc facultatem non habent ab eius benedictione se abstinere teneri.*

Legitima ergo est nostra interpretatio, huius loci Rubricarum; quamobrem non longe nos a veritate abire credimus, dicendo, quod tam R.mus Episcopus Spalatensis, quam Pro-Vicarius generalis Utinensis, quando decreta nn. **3776** et **4005,** a S. R. C. provocarunt, sequenti argumento usi sunt: In nostris dioecesibus, pro faciliori baptismi collatione fontem baplismalem detinent non solum parochiales, sed et quamplurimae filiales Ecclesiae; atqui Rubrica praescribit, fontem benedicendum esse in Ecclesiis, quae *fontem habuerint*, ergo non tantum parochiales, sed et filiales Ecclesiae fontem benedicere debent. Sicque, ambiguitate forsan decepti circa locutionem Rubricae, suas quaestiones S. R. C. detulerunt eno-

dandas; et Congregatio, iuxta petita responsum dedit, ponendo tamen in tuto iura Ecclesiarum, quae matrices sunt.

Quod si praedicti R.mi Praelati suas quaestiones S. R. C. detulissent dicendo: In nostra dioecesi Ecclesiae parochiales, imo et filiales, detinent baptisterium; igitur Benedictio fontis peragendare est in solis matricibus Ecclesiis, iuxta antiquam disciplinam, et iuxta S. R. C. decreta, n. **2436,** in *Lucana,* et n. **2878,** in *Urbevetana,* vel etiam in filialibus? Quomodo in casu intelligenda est Rubrica Missalis in Sabbato Sancto? Proculdubio S. R. C. respondisset: Serventur decreta n. **2436** et **2878;** et Rubrica Missalis in casu intelligenda est ad mentem praecitati decreti n. **2436,** de Ecclesiis ius habentibus benedicendi fontem, et non de illis, quae iure potiuntur fontem solum detinendi.

Concludendum ergo est, quod hodie, etiam post S. R. C. decretum diei 13 Ianuarii 1899. Parochi benedicere non possunt aquam baptismalem, licet fontem in suis Ecclesiis hebeant, nisi constet de facultate illam benedicendi.

Quod erat probandum.

Doct. Petrus Piacenza.

APPENDIX

E S. Rituum Congregatione

PARVUM OFFICIUM SACRI CORDIS IESU

AD MATUTINUM.

℣. Domine, labia mea aperies.

℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

℣. Deus, in adjutorium meum intende.

℟. Domine, ad adjuvandum me festina.

℣. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.

℟. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen. Alleluja.

A Septuagesima usque ad Pascha, loco Alleluja *dicitur*: Laus tibi, Domine, Rex aeternae gloriae.

℣. Cor Jesu, flagrans amore nostri.

℟. Inflamma cor nostrum amore tui.

Hymnus.

Coelestis aulae gaudium,
Splendor paternae gloriae,
Carnem benignus induens,
Nobis fores ut hostia;
Jesu, voluptas cordium.
Cr ure sacris ignibus,
Dignis ut ornem laudibus
Cordis tui sacrarium.
Cor dulce, Cor amabile,
Amore nostri fervidum,
Amore nostri languidum,
Fac sis mihi placabile.
Cor Jesu, o melle dulcius,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium. Amen.

Ant. O sacrum Cor Jesu, Patris voluntati obsequentissimum, inclina ad te corda nostra, ut quae placita sunt ei faciamus semper.

℣. Paratum cor meum, Deus cordis mei, ut faciam voluntatem tuam.

℟. Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei.

Oremus.

Domine Jesu, qui ineffabiles Cordis tui dulcedines ac divitias Ecclesiae Sponsae tuae, singulari dilectionis tuae beneficio aperire dignatus es: concede nobis famulis tuis; ut gratiis coelestibus, ex hoc dulcissimo fonte manantibus, ditari ac recreari mereamur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

AD LAUDES.

℣. Deus, in adjut. etc. — ℟. Domine, ad adjuv. etc.

℣. Gloria Patri etc. — ℟. Sicut erat, etc.

Alleluja, *vel* Laus tibi, etc.

℣. Cor Jesu, flagr. etc. — ℟. Inflamma, cor etc.

Hymnus.

Cor, digna sedes Numine,
Te sacra virtus Flaminis,
Illapsa in alvum Virginis,
Puro creavit sanguine.

Tu Trinitatis gloria;
In te Patris sunt gaudia,
Iungit tibi se Filius,
In te quiescit Spiritus.

Orbis salus tu perdito,
Secura pax Fidelium.
Puris asylum mentibus,
Castis recessus cordibus.

Cor Jesu, o melle dulcius,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium.

Amen.

Ant. O sacrum cor Jesu, salutis nostrae sitientissimum, revoca nos praevaricatores ad cor, ut non moriamur in peccatis nostris.

℣. Paratum cor meum, etc. — ℟. Deus meus, volui, etc.

Oremus.

Domine Jesu, qui ineffabiles etc.

AD PRIMAM.

℣. Deus, in adjut. etc. — ℟. Domine, ad adjuv. etc.

℣. Gloria Patri, etc. — ℟. Sicut erat etc.

Alleluja, *vel* Laus tibi, etc.

℣. Cor Jesu, flagr. etc. — ℟. Inflamma cor etc.

Hymnus.

O Cor, amoris victima,
Coeli perenne gaudium,
Mortalium solatium,
Mortalium spes unica.
Grandi reclusum vulnere
Amor dedit te pervium,
Amor reclusit ostium,
Hortatur et pervadere.
Quos abluisti sanguine,
Venis apertis omnibus,
Nos intimis recessibus
Semel receptos contine.
Cor Jesu, o melle dulcius,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium.
Amen.

Ant. O sacrum cor Jesu, puritatis exemplar perfectissimum, fac nos corde mundo, ut secundum te inveniri mereamur.

℣. Paratum cor meum, etc. — ℟. Deus meus, volui, etc.

Oremus.

Domine Jesu, qui ineffabiles etc.

AD TERTIAM.

℣. Deus, in adjut. etc. — ℟. Domine, ad adjuv. etc.
℣. Gloria Patri, etc. — ℟. Sicut erat etc.
Alleluja, *vel* Laus tibi, etc.
℣. Cor Jesu, flagr. etc. — ℟. Inflamma cor etc.

Hymnus.

O Cor amore saucium,
Amore corda saucia:
Vitale nectar Coelitum,
Amore nos inebria.

Novo Deus mysterio
Carnem suam dat pabulum,
Et sanguinem dat poculum,
Mirabili in convivio.

Quem proni adorant Angeli,
Sub mystico velamine
Divinitatis temperans
Lumen, fit esca servulis.

Cor Jesu, o melle dulcius,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium.
Amen.

Ant. O sacrum Cor Jesu, in hostes tuos mitissimum, exsultet pax tua in cordibus nostris, ut persequentibus et calumniantibus nos remittamus de cordibus nostris.

℣. Paratum cor meum, etc. — ℟. Deus meus, volui, etc.

Oremus.

Domine Jesu, qui ineffabiles etc.

AD SEXTAM.

℣. Deus in adiut. etc. — ℟. Domine, ad adjuv. etc.
℣. Gloria Patri, etc. — ℟. Sicut erat etc.

Alleluja, *vel* Laus tibi, etc.
℣. Cor Jesu, flagr. etc. — ℟. Inflamma cor etc.

Hymnus.

Cor ara coelo celsior,
Terris marique latior,
Quas ante non exceperis
Deus repellit hostias.
Hic sacra virtutum cohors,
Custos comesque candidae
Fidelis innocentiae,
In sede regnat propria.
Hoc iura quae mundum regant
Volvuntur alto pectore,
Hoc fonte, quae mentes beent,
Manant fluenta gratiae.
Cor Jesu, o melle dulcius,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium.
Amen.

Ant. O sacrum Cor Jesu, pro peccatis nostris afflictissimum, da nobis cor contritum et humiliatum, ut dignos poenitentiae fructus faciamus.

℣. Paratum cor meum, etc. — ℟. Deus meus, volui, etc.

Oremus.

Domine Iesu, qui ineffabiles etc.

AD NONAM.

℣. Deus, in adiut. etc. — ℟. Domine, ad adjuv. etc.
℣. Gloria Patri, etc. — ℟. Sicut erat, etc.
Alleluja, *vel* Laus tibi, etc.
℣. Cor Jesu, flagr. etc. — ℟. Inflamma cor etc.

Hymnus.

Cor sole puro purius,
Templumque coelo dignius,
Verbi Dei sacrarium
Opum Dei compendium.
Ex te quot actus prodeunt,
Tot digna Patre munera:
Quot vota fundis, tot Pater
Justis rependit praemiis.
Vindex reis irascitur
Deus, sed ut te respicit,
Placatus iras abjicit
Et fulmen obliviscitur.
Cor Jesu, o melle dulcius,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium.
Amen.

Ant. O sacrum Cor Jesu, paupertatis amantissimum, pone nos ut signaculum super te, ut in te, unico thesauro nostro, totum sit cor nostrum.

℣. Paratum cor meum, etc. — ℟. Deus meus, volui, etc.

Oremus.

Domine Jesu, qui ineffabiles etc.

AD VESPERAS.

℣. Deus, in adiut. etc. — ℟. Domine, ad adjuv. etc.
℣. Gloria Patri, etc. — ℟. Sicut erat, etc.
Alleluja, *vel* Laus tibi, etc.
℣. Cor Jesu, flagr. etc. — ℣. Inflamma coretc.

Hymnus.

O Cor, Deo par victima,
Altare sacratissimum,
In quo perennis hostia
Culpas piat mortalium.
Nidus gementis turturis,
Gratum columbis pabulum,
Hortus refulgens floribus,
Sponsae quies et lectulus.
Hic casta spirant lilia
Quibus nitescunt Virgines
Hinc unde splendent Martyres
Rosae rubescit purpura.
Cor Jesu, o melle dulcius,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium.
Amen.

Ant. O sacrum Cor Jesu, diligentibus te beneficentissimum, deficiat in te caro nostra et cor nostrum, ut sis amor cordis nostri, et pars nostra in aeternum.

℣. Paratum cor meum, etc. — ℟. Deus meus, volui, etc.

Oremus.

Domine Jesu, qui ineffabiles etc.

AD COMPLETORIUM.

℣. Deus, in adiut. etc. — ℟. Domine, ad adiuv. etc.
℣. Gloria Patri, etc. — ℟. Sicut erat etc.
Alleluja, *vel* Laus tibi, etc.
℣. Cor Jesu, flagr. etc. — ℟. Inflamma cor etc.

Hymnus.

Cor Matris ad Cor Filii
Amoris ardens impetu,
Indesinente anhelitu,
Suspirat oblitum sui.
Utrumque amoris vinculo
Nexu perenni iungitur,
Hoc ardet huius ignibus,
Ignemque reddit aemulum.
Cor Jesu, o melle dulcius,
Paris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium.
Amen.

Lat. O victima charitatis, Cor amantissimum Jesu, pro peccatis nostris immolatum, ab ingratis hominibus neglectum et afflictum, converte nos, vivifica nos, accende nos.

℣. Paratum cor meum, etc. — ℟. Deus meus, volui, etc.

Oremus.

Domine Jesu, qui ineffabiles etc.

Concordat cum suo originali.

In fidem etc.

Ex Secretaria Sacror. Rituum Congregationis, die 8 Martii 1901.

L. ✠ S. ✝ D. Panici, Archiep. Laodicen., *S. R. C. Secret.*

Approbatio Officii parvi Sanc.mi Cordis Iesu

Officium parvum Sacri Cordis Iesu antiquitus exaratum, ac nuper in meliorem formam redactum, R.mus P. Eugenius Peultier, Campaniae Provinciae Societatis Iesu in Gallia regundae praepositus, supremae Apostolicae Sedis approbationi humillime subiecit, expostulans ut illud Fidelibus tum singulis, tum coniunctim, piis praesertim sodalitatibus, liceat recitare. Quibus precibus supplicia vota adiungens E.mus et R.mus D.nus Cardinalis Benedictus Maria Langenieux, Archiepiscopus Rhemen. a Sanctissimo Domino Nostro Papa Leone XIII parvi eiusdem offici approbationem enixe flagitavit.

Quare exhibitum eiusmodi parvum officium Sacri Cordis Iesu quum ad Iuris tramitem E.mus et R.mus D.nus Cardinalis Andreas Steinhuber Relator, in ordinario Sacrorum Rituum Coetu, subsignata die ad Vaticanum coadunato, proposuerit; E.mi et R.mi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, re mature perpensa, auditoque R. P. D. Ioanne Baptista Lugari S. Fidei Promotore, ita rescribendum censuerunt: « Pro gratia et ad E.mum Ponentem cum Promotore Fidei ». Die 5 Februarii 1901.

Denique hisce omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII ab infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto relatis: Sanctissimus Dominus Noster, qui cultum divini Cordis ubique promovendum augendumque multipliciter sategit, sententiam Sacri ipsius Concilii ratam habens, parvum Officium de Sacratissimo Iesu Corde, prout huic praeiacet decreto, Auctoritate sua libenter approbavit; illudque tam privatim quam publice recitandum Christifidelibus concessit. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 26, iisdem mense et anno.

L. ✠ S. D. Card. FERRATA, *Praef.*

✝ D. Panici, *Archiep. Laodicen., Secr.*

E Secretaria Brevium

De Indulgentiis pro Tertiariis saecularibus.

LEO PP. XIII

Ad perpetuam rei memoriam.

Qui multa ad incolumitatem et prosperitatem Tertii Ordinis Sancti Francisci Assisiensis in diuturno Pontificatu Nostro constituimus, decrevimus, egimus, et nonnihil ex veteri illius disciplina et regula, prout temporum opportunitas postulabat, vel temperavimus, vel renovavimus, volumus nunc communia Sociorum ejusdem Ordinis explere desideria, quae non mediocrem confidimus allatura Ecclesiae catholicae utilitatem ac fructum. Nos quidem maximas plurimasque gratias agere et habere debemus Deo, cui uni acceptum referimus, quod populus christianus, in tanta praesertim morum desidia et segnitie, cohortationibus et invitationibus Nostris faciles dediderit aures, atque excitata sit erga Seraphicum Patrem pietas, auctusque numerus Sodalitatem Tertii Ordinis expetentium. Hoc Nobis luculenter demonstrat neglectas non iacere christianas virtutes, per quas facile mederi possumus malis, quibus affligimur, et propulsare pericula, quae formidamus. Tertius enim Ordo, qui et saecularis dicitur, natus aptus multitudini, ab Auctore suo ita est constitutus, ut in eo, velut in quadam palaestra, diligentius vita Christiana exerceatur, in exemplum Illius, qui dixit: « Ego sum via, veritas et vita. » Profecto Ordines Franciscales priores duo, magnarum virtutum informati disciplinis perfectius quiddam diviniusque consectantur: Tertius autem Ordo Socios suos ad mores provocat iustos, pios, integros, atque inter domesticos parietes vitae honestatem plus quam sanctimoniam docet. Donec igitur animorum salutaris iste cursus non retardetur, et Tertius Ordo Franciscalis Sociorum numero et pietate floreat, Nos spem bonam habebimus, futurum ut populus Christianus velit aliquando privatim et publice ad Iesum Christum reditum matu-

rare. Quum vero catholici homines maxime trahantur spiritualium bonorum praemio, Nos velut currentibus incitamenta praebituri, illuc voluimus animum et cogitationem intendere, unde illi ad Tertium Ordinem citius possint adduci. Quapropter dilectis Filiis Ministris Generalibus Ordinis Minorum tum Conventualium, tum Capulatorum, et Tertii Ordinis Regularis annuentes, rogata etiam sententia Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacrae Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae, loco spiritualium gratiarum et Indulgentiarum, quibus sodales saeculares Tertii Ordinis Sancti Francisci, vi communicationis obtentae die VII Iulii MDCCCXCVI per Breve Nostrum Apostolicum ad quinquennium valiturum, cum primo et secundo Ordine Seraphico perfruebantur, omnes et singulas Indulgentias defunctis etiam ad modum suffragii applicabiles, aliasque spirituales gratias, prout in infrascripto indice referuntur, iisdem Tertiariis Apostolica auctoritate Nostra in perpetuum concedimus et largimur.

Index novarum Indulgentiarum
Tertio Ordini saeculari S. Francisci Assisiensis tribuendarum.

Indulgentiae Plenariae: Tertiarii singuli si vere poenitentes et confessi ac S. Communione refecti Ecclesiam ubi sedes Sodalitii constituta sit, devote visitaverint, atque ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam etiam animabus fidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicare possint, lucrari valeant diebus vel festis infra scriptis. — I. Die XIV Ianuarii festo B. Odorici Conf. I. Ord. — II. Die XVI Ianuarii festo Ss. Berardi, Petri et Sociorum Protomartyrum Ord. Seraph. — III. Die XXX Ianuarii S. Hycinthae de Mariscottis V. III. Ord. — IV. Die I Februarii B. Andreae de Comitibus Conf. I. Ord. — V. Die V Februarii Ss. Petri Baptistae et Sociorum Martyrum Iaponensium I. et III. Ord. — VI. Die XIX Februarii S. Conradi a Placentia III. Ord. — VII. Die XXI Februarii S. Angelae Mericiae V. III. Ord. — VIII. Die XXII

vel XXIII (respective) Februarii S. Margaritae de Cortona III. Ord. — IX. Die VI Martii S. Coletae V. II. Ord. — X. Die IX Martii S. Catharinae de Bononia V. II. Ord. — XI. Die XXIV Aprilis S. Fidelis a Sigmaringa I. Ord. Protomartyris S. C. de Prop. Fide. — XII. Die XXVIII vel XV (respective) Aprilis B. Luchesii ex Tertiariis primi, qui ab ipso S. Institutore habitu Tertii Ordinis indutus fuit. — XIII. Die XVII Maii S. Paschalis Baylon I. Ord., Patroni omnium Societatum a SS. Eucharistia. — XIV. Die XIX Maii S. Ivonis C. III. Ord. — XV. Die XX Maii S. Bernardini Senensis vexilliferi SS. Nominis Iesu. — XVI. Die XXX Maii S. Ferdinandi Regis III. Ord. — XVII. Die XIII Iunii S. Antonii Patavani Primi Ord. — XVIII. Die VII Iulii S. Laurentii a Brundusio Primi Ord. — XIX. Die VIII Iulii S. Elisabeth Reginae Portugalliae III. Ord. — XX. Die IX Iulii vel XIII Septembris (respective) S. Veronicae de Iulianis V. II. Ord. — XXI. Die XIV Iulii S. Bonaventurae Eccl. Doctoris I. Ord. — XXII. Die XVI Augusti S. Rochi Conf. III. Ord. — XXIII. Die XIX Augusti S. Ludovici Ep. Tolosani I. Ord. — XXIV. Die Septembris S. Rosae de Viterbio V. III. Ord. — XXV. Die XVIII Septembris S. Iosephi a Cupertino I. Ord. — XXVI. Die XXVII Septembris S. Elzearii Comitis Ariani Conf. III. Ordinis. — XXVII. Die VI Octobris S. Mariae Franciscae a Vulneribus Domini Nostri Iesu Christi Virg. III. Ordinis. — XXVIII. Die XIII Octobris Ss. Danielis et Sociorum Martyrum I. Ordinis. — XXIX. Die XIX Octobris S. Petri de Alcantara I. Ord. — XXX. Die XXVII Novembris B. Delphinae Virg. Coniugis B. Elzearii III. Ord. — XXXI. Die XXIX Novembris Omnium Sanctorum trium Ordinum S. P. Francisci. — XXXII. In festis Circumcisionis, Epiphaniae, Ascensionis Domini Nostri Iesu Christi, et in festo SS. Trinitatis. — XXXIII. In festis Nativitatis, Purificationis, Annuntiationis et Assumptionis Beatae Mariae Virginis. — XXXIV. In festis S. Michaelis Archangeli, Sanctorum Angelorum Custodum, S. Ioannis Baptistae ac Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli. — XXXV. Die II Augusti Indulgentiam Portiunculae toties lucrandam, quoties ex primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi aliquam Ecclesiam sive

publicum Oratorium primi, secundi, vel Tertii Ordinis regularis, vel etiam aliam Ecclesiam sive publicum Oratorium ubi canonice erecta sit Congregatio Tertii Ordinis saecularis, visitaverint, dummodo confessi et S. Communione refecti fuerint et sicut supra oraverint. — XXXVI. Iidem Tertiarii recitando *Pater, Ave* et *Gloria* quinquies pro incolumitate rei Christianae et semel ad mentem Nostram, eas omnes Indulgentias toties consequuntur, quas lucrantur fideles, qui Stationes Urbis, Portiunculam, Hierosolymitana loca, aedem S. Iacobi Apostoli Compostellensem visitant, servatis decretis VII Martii MDCLXXVIII, § *Indulgentias vero*, XVI Februarii MDCCCLII, et XIV Aprilis MDCCCLVI. — XXXVII. Iidem Tertiarii recitantes Coronam Franciscanam, scilicet septem Gaudiorum Beatae Mariae Virginis quae constat LXXII *Ave Maria* et septem *Pater Noster*, addito uno *Pater* pro Summo Pontifice, lucrantur Indulgentiam plenariam eidem recitationi pro Ordine Seraphico adnexam. — XXXVIII. Tertiarii renovantes professionem Tertii Ordinis die XVI Aprilis, anniversario Professionis S. Patris Francisci, vel, si legitime impediti fuerint, Dominica immediate sequenti, culpis Confessione expiatis et SS. Eucharistia refecti Plenariam Indulgentiam consequuntur.

Indulgentiae partiales: Tertiarii ex utroque sexu singuli, si Ecclesiam, in qua est Sedes Sodalitii constituta, devote visitaverint, Deoque pro rei Cristianae incolumitate supplicaverint, Indulgentiam septem annorum et septem quadragenarum lucrantur diebus infrascriptis. — I. In festis Desponsationis, Visitationis et Praesentationis Beatae Mariae Virginis. — II. Item in festis Inventionis et Exaltationis S. Crucis.

Demum iisdem Tertiariis, si sint infirmi vel convalescentes, nec commode possint e domo egredi, dummodo quinquies Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam devote recitaverint, et ad mentem Nostram ut supra oraverint, lucrari possint omnes et singulas Indulgentias ac si personaliter visitarent Ecclesiam Ordinis vel Sodalitii. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis

eadem prorsus habeatur fides, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris die VII Sept. MDCCCCI, Pontificatus Nostri Anno Vigesimo quarto.

L. ✠ S.

ALOIS. Card. MACCHI.

E S. C. Indulg. et SS. Reliq.

I.

Summarium Indulgentiarum, Privilegiorum ac Indultorum Sodalibus Tertii Ordinis saecularis S. Francisci Assisiensis concessorum.

CAPUT I.

Indulgentiae Plenariae.

I. Tertiariis ex utroque sexu vere poenitentibus, confessis ac S. Synaxi refectis:

* 1° Die ingressus [1];

* 2° Die professionis;

* 3° Quoties potioris vitae studio per octo dies continuos spiritualibus exercitiis vacaverint;

4° Die 16 Aprilis, anniversario professionis S. P. Francisci, vel, si legittime impediti fuerint, Dominica immediate sequenti, dummodo professionem Tertii Ordinis renovaverint.

[1] Indulgentiae quae hoc signo * denotantur, concessae sunt per Constitutionem quae incipit " Misericors Dei Filius „ diei 30 Maii 1883; alterae vero per Litteras Apostolicas in forma Brevis diei 7 Septembris 1901.

II. Iisdem Tertiariis, si uti supra dispositi ad mentem Sanctitatis Suae oraverint:

* 1° Bis in anno si Benedictionem nomine Summi Pontificis acceperint;

Diebus sequentibus, quibus Absolutionem seu Benedictionem receperint nempe:

* 2° Natali D. N. I. Chr.;

* 3° Paschatis Resurrectionis;

* 4° Pentecostes;

* 5° in festo SS.mi Cordis Iesu;

* 6° in festo Immaculatae ConceptionisB. M. V.;

* 7° in festo S. Iosephi Sponsi B. M. V. (die 19 Martii);

* 8° in festo Impressionis SS. Stigmatum S. P. Francisci (die 17 Septembris);

* 9° in festo S. Ludovici regis Galliarum, Patroni caelestis salutaris Tertii Ordinis (die 25 Augusti);

* 10° in festo S. Elisabeth Hungariae (die 19 Nov.);

III. Iisdem Tertiariis, si uti supra dispositi aliquam ecclesiam vel publicum sacellum devote visitaverint, et ad mentem Summi Pontificis aliquamdiu oraverint:

* 1° Quo die ad concionem menstruam, seu *Conferentiam*, conveniunt;

* 2° Semel singulis mensibus, quo die cuique placuerit.

IV. Iisdem Tertiariis, qui uti supra dispositi ecclesiam, ubi sedes Sodalitii est constituta, devote visitaverint, diebus festis sequentibus:

1. SS.mae Trinitatis;
2. Circumcisionis D. N. I. Chr.;
3. Epiphaniae „
4. Ascensionis „
5. Nativitatis B. Mariae V.;
6. Purificationis „
7. Annuntiationis „
8. Assumptionis „
9. S. Michaelis Archangeli;
10. SS. Angelorum Custodum;

11. S. Ioannis Baptistae;

12. Ss. Apostolorum Petri et Pauli;

13. B. Odorici Conf. 1. Ord. (14 Ianuarii);

14. Ss. Berardi, Petri et Soc. Protomartyrum Ord. Seraph. (16 Jan.);

15. S. Hyacinthae de Mariscottis Virg. 3. Ord. (30 Ian.);

16. B. Andreae de Comitibus, Conf. 1. Ord. (1 Februarii);

17. Ss. Petri Baptistae et Soc. MM. Iaponensium 1. et 3. Ord. (5 Febr.);

18. S. Conradi a Placentia Conf. 3. Ord. (19 Febr.);

19. S. Angelae Mericiae Virg. 3. Ord. (21 Febr.);

20. S. Margaritae de Cortona, 3. Ord. 22 vel 23 Febr.);

21. S. Coletae Virg. 2. Ord. (6 Martii);

22. S. Catharinae de Bononia Virg. 3. Ord. (9 Mart.);

23. S. Fidelis a Sigmaringa Mart. 1. Ord. (24 Aprilis);

24. B. Luchesii, ex Tertiariis primi, qui ab ipso S. Institutore habitu Tertii Ord. indutus fuit (28 vel 15 Apr.);

25. S. Paschalis Baylon Conf. 1. Ord. (17 Maii);

26. S. Ivonis Conf. 3. Ord. (19 Maji);

27. S. Bernardini Senensis Conf. 1. Ord. (20 Maii);

28. S. Ferdinandi Regis Conf. 3. Ord. (30 Maii);

29. S. Antonii Patavini Conf. 1. Ord. (13 Iunii);

30. S. Laurentii a Brundusio Conf. 1. Ord. (7 Iulii);

31. S. Veronicae de Julianis Virg. 2. Ord. (9 Iul. vel 13 Sept.);

32. S. Elisabeth Reg. Portug. 3. Ord. (8 Iul.);

33. S. Bonaventurae Eccl. Doct. 1. Ord. (14 Iul.);

34. S. Rochi Conf. 3. Ord. (16 Augusti);

35. S. Ludovici Episcopi Tolosani 1. Ord. (19 Aug.);

36. S. Rosae de Viterbio Virg. 1. Ord. (4 Septembris);

37. S. Iosephi a Cupertino Conf. 1. Ord. (18 Sept.);

38. S. Elzearii Comitis Ariani Conf. 3. Ord. (27 Sept.);

39. S. Mariae Franciscae a Vulneribus D. N. I. Chr. Virg. 3. Ord. (6 Octobris);

40. Ss. Danielis et Soc. MM. 1. Ord. (13 Oct.);

41. S. Petri de Alcantara Conf. 1. Ord. (19 Oct.);

42. B. Delphinae Virg. 3. Ord. (27 Novembris);

43. Omnium Sanctorum Trium Ordinum S. Francisci (29 Novembris);

V. Iisdem Tertiariis, uti supra pariter dispositis, qui ecclesiam, in qua sedes Sodalitii est constituta, devote visitaverint, ibique pias preces ad mentem Summi Pontificis aliquamdiu effuderint:

* 1° Die festo S. Francisci Patris legiferi (4 Octobris);

* 2° Die festo S. Clarae Virg. legiferae (12 Augusti):

* 3° Die festo Sancti Titularis ecclesiae, in qua sedes Sodalitii est costituita;

4. Toties quotie ex primis vesperis usque ad occasum solis diei 2 Augusti pariter ecclesiam vel etiam sacellum ubi est sedes Sodalitii visitaverint.

VI. Iidem Tertiarii recitando *Pater, Ave* et *Gloria* quinquies pro incolumitate rei christianae et semel ad mentem Summi Pontificis, eas omnes indulgentias toties quoties consequuntur, quas lucrantur fideles, qui stationes Urbis, Portiunculam, Hierolymitana loca, aedem S. Iacobi Ap. Compostellanam visitant, servatis decretis 7 Martii 1678 « Indulgentias vero »; 16 Febr. 1852 et 14 April. 1856.

VII. Iidem Tertiarii recitantes coronam Franciscanam scilicet, septem gaudiorum B. M. V., quae constat 72 *Ave Maria* et 7 *Pater noster*, addito uno *Pater* pro Summo Pontifice, lucrantur indulgentiam plenariam eidem recitationi pro Ordine Seraphico adnexam.

* VIII. Tandem plenaria indulgentia iisdem Tertiariis morituris, si vere poenitentes, confessi ac S. Synaxi refecti vel saltem contriti, SS.mum IESU nomen ore, si potuerint, sin minus corde, devote invocaverint.

CAPUT II.

Indulgentiae Stationum Urbis.

* Diebus Stationum in Missali Romano descriptis iidem Tertiarii, si ecclesiam, in qua sedes est Sodalitii constituta, visitaverint ibique ad mentem Summi Pontificis oraverint, easdem in-

dulgentias consequuntur, quas consequerentur praefatis diebus, si personaliter visitarent ecclesias Urbis vel extra eam.

Caput III.

Indulgentiae Partiales.

I. *Septem annorum totidemque, quadragenarum* omnibus ex utroque sexu Tertiariis, qui ecclesiam, in qua est sedes Sodalitii constituta, devote visitaverint et ad mentem Summi Pontificis oraverint:

* 1° Die Impressionis SS. Stigmatum;
* 2° In festo S. Ludovici Regis;
* 3° In festo S. Elisabeth Hungariae;
* 4° In festo S. Margaritae Cortonensis;
* 5° In festo S. Elisabeth Reginae Lusitanie;
* 6° In aliis duodecim diebus ad libitum eligendis, cum approbatione tamen praefecti Ordinis;
7° In festo Desponsationis B. M. V.;
8° In festo Visitationis "
9° In festo Praesentationis "
10° In festo Inventionis et
11° In festo Exaltationis S. Crucis.

II. *Tercentorum dierum:* Sodalibus Tertiariis quoties Missae aliisque divinis officiis vel Sodalitatis conventibus publicis vel privatis interfuerint; — inopes hospitio receperint; — dissidia composuerint vel componenda curaverint; — processionibus interfuerint; — SS. Sacramentum, cum circumfertur, comitati fuerint: vel, si hoc facere nequiverint, ad pulsum campanae Orationem Dominicam cum Angelica Salutatione semel recitaverint; — quinquies *Pater* et *Ave* recitaverint rei christianae vel animabus Sodalium defunctorum Deo commendandis; — defunctos ad sepulturam comitaverint; — devium quemquam ad officium reduxerint; — Dei praeceptis ceterisque ad salutem necessariis quempiam erudierint; — aut tandem quodcumque pium opus pietatis vel caritatis exercuerint.

Omnes et singulae indulgentiae hucusque relatae, excepta tamen plenaria in articulo mortis lucranda, sunt etiam applicabiles animabus defunctorum in purgatorio detentis (Constit. 30 Maii 1883; Breve 7 Septembris 1901).

Caput IV.

Privilegia.

* 1. Sacerdotes Tertiarii ad quodlibet Altare Missam celebrantes gaudent indulto Altaris privilegiati personalis tribus in qualibet hebdomada diebus, dummodo simile indultum pro alia die non impetraverint (Constit. 30 Maii 1883).

* 2. Missae omnes, quae in suffragium Sodalium defunctorum celebrantur, sunt semper et ubique privilegiatae (Ibid.).

Caput V.

Indulta.

1. Tertiarii omnes legitime impediti quominus Ecclesiam adeant Absolutionem generalem diebus assignatis, qui professi sunt, accepturi, eam accipere valent alio die festo de praecepto, qui intra octiduum eorum profestorum dierum occurret. (Rescr. S. C. Indulg. 16 Ianuarii 1886).

2. Tertiarii Absolutionem Generalem pridie festi, post expletam sacramentalem confessionem, recipere valeant. (Decr. S. C. Indulg. 21 Iulii 1888).

3. Tertiarii degentes in locis ubi nulla adest constituta Tertii Ordinis Sodalitas, loco Benedictionis nomine Summi Pontificis, bis in anno Absolutionem seu Benedictionem cum adnexa plenaria indulgentia recipere valent (Decr. S. C. Indulg. 31 Ianuari 1893).

4. Tertiarii, si sint infirmi vel convalescentes, nec possint commode e domo egredi, recitando quinque *Pater* et *Ave*, et orando ad intentionem Summi Pontificis, lucrantur easdem indulgentias ac si personaliter visitata fuisset ecclesia Ordinis vel Sodalitii (Breve 7 Septembris 1901).

*

5. Iidem Tertiarii infirmi vel convalescentes Absolutionem generalem recipere, et etiam omnes plenarias indulgentias pro determinatis diebus concessas lucrari valeant quacumque die infra octiduum festi, cui absolutio vel plenaria indulgentia est adsignata, ceteris adimpletis conditionibus. (Rescr. S. C. Indulgent. 13 Augusti 1901).

6. Tertiarii omnes lucrari valent indulgentias tam omnibus fidelibus Ecclesias franciscales visitantibus concessas, quam illas, quae Tertii Ordinis saecularis sunt propriae, ea conditione, ut ecclesiam parochialem visitent in omnibus iis locis ubi neque ecclesiae franciscales, neque oratoria publica Tertii Ordinis saecularis, aut alia ecclesia, in qua canonice erecta sit Sodalitas, existunt. (Decr. S. C. Indulg. 31 Ianuari 1893).

DECRETUM.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, utendo facultatibus a SS.mo D.no Nostro Leone Pp. XIII sibi tributis, praesens Summarium omnium Indulgentiarum, Privilegiorum ac Indultorum Sodalibus Tertii Ordinis saecularis S. Francisci Assisiensis concessorum, nunc primum ex authenticis documentis excerptum, recognovit et approbavit, typisque mandari benigne permisit.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C., die 11 Septembris 1901.

S. Card. Cretoni, *Praef.*

L. ✠ S.

Pro R. P. D. Francisco Archiep. Amid. *Secr.*,
Iosephus M. Can. Coselli, *Subst.*

II.

Conceditur aegrotis Tertiariis saecularibus absolutio generalis quacumque die infra octiduum festi.

Beatissime Pater,

Ministri Generales quatuor Ordinum Franciscalium, ad S. V. pedes provoluti, humillime petunt, ut aegrotis et convalescentibus

Tertiariis saecularibus concedatur privilegium recipiendi generalem absolutionem quacumque die infra octiduum festi, cui assignatur. Insuper enixe postulant, ut favore eorumdem Tertiariorum aegrotantium et convalescentium indultum S. V. concedere dignetur, cuius vi omnes plenarias indulgentias, ceteris servatis conditionibus, infra octiduum diei pro quo concessae sunt, lucrari possint et valeant.

Et Deus, etc.

S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, utendo facultatibus a SS. D. N. Leone Pp. XIII sibi specialiter tributis, benigne annuit pro gratia iuxta preces, ceteris servatis de iure servandis. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C., die 13 Augusti 1901.

S. Card. Cretoni, *Praef.*

L. ✠ S.

Pro R. P. D. Franc. Archiep. Amid. *Secr.*
Ios. M. Can. Coselli, *Subst.*

III.

Indulgentia conceditur clericis infrascriptam recitantibus orationem.

Beatissime Pater,

Maximilianus Franzini, Director spiritualis Seminarii Vaticani, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter petit, ut Eadem Sanctitas Vestra concedere dignetur aliquam Indulgentiam singulis clericis, qui, lumen a Domino, ad vocationem dignoscendam, exoptantes, praefatam recitant orationem.

Die 8 Februarii 1901.

Ex audientia Sanctissimi.

Sanctissimus, auditis expositis, biscentum dierum indulgentiam *omnibus Clericis, praedictam orationem corde saltem contrito recitantibus, benigne concessit; iussitque praesentes litteras Sacrae*

Congregationi Indulgentiis praepositae praesentari. Contrariis quibuscumque non obstantibus. In quorum, etc.

† Casimirus, *Archiep.* Naupacten. *Adsessor S. Officii.*

« Io sono, o mio Dio, indegno, indegnissimo di servirvi nel Ministero sacerdotale, per cui si offerisce il corpo, il sangue di Gesù Cristo vostro figliuolo ne' vostri altari. Non ho verun merito per questo onore, essendo io un misero peccatore, un mero nulla, anzi meno del nulla, a cagione della mia malizia, non atto ad altro che a far peccati. Ma poichè sento dentro di me un movimento, che mi sollecita allo stato ecclesiastico, e non so da me stesso discernere, se ciò sia una mia presunzione od una vostra ispirazione; davanti a Voi mi umilio, e Vi prego farmi conoscere, se ciò sia secondo il vostro beneplacito, perchè nulla io voglio fare contro la vostra volontà. Deh! Voi che siete la luce del mondo, illuminatemi: e, se questo mio pensiero è una vostra vocazione, datemi grazia per una pronta ubbidienza ed anche per una degna corrispondenza. Se poi, o Signore, Voi non mi chiamate al Ministero sacerdotale, o vedete, che in questo io non debba essere un buon Sacerdote, ma invece di mala edificazione e di scandalo alla Chiesa, non permettete che io entri giammai in uno stato, che sarebbe la mia dannazione. Vergine Santissima, Madre di Dio e Madre del Buon Consiglio, avvalorate Voi questa mia povera preghiera; e sia anche pei vostri meriti e per vostra intercessione, che io ottenga dal Signore di regolarmi in tutto, non secondo la mia, ma secondo la sua santa volontà. »

Un *Pater, Ave, Gloria* [1].

[1] Versio:

« Indignus ego sum, o mi Deus, indignissimus Tibi inserviendi in sacerdotali Ministerio, per quod Corpus et Sanguinis Iesu Christi Filii tui in tuis altaribus offertur. Nullum in me, ad hunc honorem assequendun inest meritum, miser peccator cum sim, merum nihil, imo minus nihilo, ob meam malitiam, ad nihil aliud aptus, quam ad peccandum. Sed, ex quo in me sentio quemdam impulsum, me ad clericalem militiam excitantem, nec tamen a memetipso discernere valeo, an hoc sit mea praesumptio, an tua inspiratio; Tibi me humiliter subiicio, ac Te rogo, ut mihi ostendas, utrum id sit iuxta tuum bene-

IV.

Conceditur indulgentia recitantibus infrascriptam iaculatoriam.

Beatissime Pater,

I. I., monialis SS. Cordis Iesu Bruxellis, ad S. V. pedes humiliter prostrata, implorat, ut concedere dignetur indulgentiam sequenti preci iaculatoriae: *Laus, honor et gloria divino Cordi Iesu.*

SS. D. N. Leo Pp. XIII in audientia habita die 14 Iunii ab infrascripto Card. Praefecto S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, omnibus ex utroque sexu Christifidelibus praefatam iaculatoriam precem, corde saltem contrito ac devote recitantibus, Indulgentiam *quinquaginta* dierum semel in die lucrandam, defunctis quoque applicabilem, benigne concessit. Praesenti in perpetuum valituro absque Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem S. C.. die 14 Iunii 1901.

S. Card. Cretoni, *Praef.*

† F. Sogaro, Archiep. Amiden., *Secr.*

Praesentes Litterae exhibitae sunt huic S. Congregationi Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum, etc.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem Congregationis die 13 Februarii 1901.

† Franciscus Sogaro, *Archiep.* Amiden. *Secretarius.*

placitum; nihil enim contra tuam voluntatem exequi volo. O, qui es lux mundi, me illumina: et, si hoc meum cogitatum est tua vocatio, da mihi gratiam prompte Tibi obediendi, ac insuper Tibi digne obsecundandi. Sin autem, Domine, me ad Ministerium sacerdotale non vocas, aut me in hoc bonum Sacerdotem futurum non vides, sed contra, mali exempli et scandali in Ecclesia, ne permittas me unquam talem ingredi viam, quae ad damnationem perduceret.

Sanctissima Virgo, Mater Dei et Mater Boni Consilii, his meis humilibus precibus virtutem adiice; et tuis quoque meritis, tuaque intercessione impetrem a Domino, me in omnibus habere non secundum meam, sed secundum suam sanctam voluntatem. „

Pater, Ave, Gloria.

V.

Congregationis Fratrum S. Vincentii a Paulo.

DE PRECIBUS PIISQUE EXERCITIIS INDULGENTIIS IAM DITATIS AD SACRAMENTALEM POENITENTIAM EXPLENDAM IMPOSITIS.

Supremus Moderator Fratrum S. Vincentii a Paulo huic Sac. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae humiliter exponit, saepe Confessarios, quo melius spirituali poenitentium utilitati consulant, preces vel pia exercitia Indulgentiis ditata in sacramentali Confessione imponere, existimantes uno eodemque actu datum esse poenitentibus sacramentali poenitentiae satisfacere, et adnexas precibus vel piis exercitiis Indulgentias lucrari. Verum, quoad huiusmodi opinionem et praxim, non levis sententiarum disparitas exorta est, eo quod nonnulli, innixi Decreto huius S. C., diei 29 Maii 1841, quo negatur, posse per preces iam obligatorias, v. gr., per horas canonicas, satisfieri precibus a Summo Pontifice praescriptis ad lucrandam indulgentiam, contendunt, omne prorsus fundamentum praedictae opinioni et praxi Confessariorum esse sublatum; e contra alii affirmant, laudatum Decretum ad rem non facere; in eo siquidem agitur de una vel altera conditione ad lucrandam Indulgentiam imposita, non vero de precibus vel piis exercitiis, quae auctoritate Summi Pontificis Indulgentias iam secum ferunt, et assumi possunt tanquam sacramentalis poenitentia, nisi aliter mens concedentis declaraverit.

Ut itaque omnis ambigendi ratio de medio tollatur, sequens dubium solvendum proponit:

Utrum poenitens precem aut pium opus Indulgentiis ditatum explens, possit simul et poenitentiae satisfacere et Indulgentias lucrari?

Et Emi Patres, in Congregatione Generali ad Vaticanum habita, die 11 Iunii 1901, rescripserunt:

Affirmative, facto verbo cum SS.mo.

Quam quidem resolutionem, in audientia habita ab infrascripto Cardinali Praefecto, die 14 Iunii 1901, relatam, Sanctitas Sua benigne confirmavit.

Datum Romae, ex Secreteria eiusdem S. Congregationis, die 14 Iunii 1901.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† FRANCISCUS SOGARO, Archiep. Amiden., *Secretarius*

E S. R. et U. Inquisitione.

I.

Beatissime Pater,

Episcopus L. in America, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter petit, utrum tanquam licita retineri possit quaedam devotio a *manu potenti* (La mano poderosa — la mano *potenta*) nuncupata. Haec consistit in imaginibus et numismatibus, ab Europa provenientibus, quae repraesentant manum apertam, plagatam et in extremitate digitorum imagines habentem Infantis Iesu, Beatae Virginis, S. Ioseph, S. Ioachim et S. Annae.[1]

Feria IV, die 13 Martii 1901.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis, ab E.mis et R.mis DD. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus habita, propositis suprascriptis precibus, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, E.mi ac R.mi Patres respondendum mandarunt:

Imaginem praedictam esse praedamnatam a Concilio Tridentino; et curet Episcopus ut destruantur imagines, numismata et quodcumque scriptum, seu precandi formula, ad dictam devotionem pertinentia.

Sequenti vero feria VI, die 15 eiusdem mensis et anni, in solita audientia SS. D. N. Leonis Div. Prov. Pp. XIII a R. P. D. Adsessore S. Officii habita, SS.mus D. N. resolutionem EE. ac RR. Patrum adprobavit.

I. Can. MANCINI, *S. R. et U. Inquisit. Notarius.*

[1] Versio ex italico idiomate.

II.

Beatissime Pater,

Archiepiscopus N. in America, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter exponit, novum quoddam devotionis obiectum venum ire, *Nova Crux Immaculatae Conceptionis* appellatum. Est illud numisma in formam Crucis confectum, non imaginem D. N. I. Ch. repraesentans, sed ex una parte imaginem Immaculatae Conceptionis, et ex altera Sacrorum Cordium, una cum monogrammate B. Virginis. Hinc oraculum Sanctitatis Vestrae expectat, ad dignoscendum, an eiusmodi devotio possit nec ne approbari.[1]

Feria IV, die 13 Martii 1901.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis, ab E.mis ac R.mis DD. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus habita, propositis supradictis precibus, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EE. ac RR. Patres respondendum mandarunt:

Devotionem praedictam, uti est, non esse probandam.

Sequenti vero feria VI, die 15 eiusdem mensis et anni, in solita audientia SS. D. N. Leonis Div. Prov. Pp. XIII, a R. P. D. Adsessore S. Officii habita, SS.mus D. N. resolutionem EE. et RR. Patrum adprobavit.

I. Can. Mancini, *S. R. et U. Inquisit. Notarius.*

[1] Versio ex italico idiomate.

IMPRIMATUR
P. Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR
Ioseph Ceppetelli, Archiepiscopus Myren. Vicesgerens.

PROPRIETAS LITERARIA.

G. B. Agnolucci, *gerente responsabile.*

Roma, 1901. — Tipografia Cooperativa Sociale.